

v 90

N. 165.

1) Pappus, P. 7.

2) Pappus, Dan.

3) Pappus, Fl.

K. VIII 192.



DANIELIS HOFMANNI D.
DE VSV ET AP-
PLICATIONE NO-
TIONVM LOGICARVM
ad res Theologicas

ET

DE INVSITATARVM
predicationum reductione,

Aduersus

RVDOLPHVM GOCLENIVM
Admonitio.

E PVBLICIS PRAELECTIO-
*nibus excerpta & in communem Eccle-
sia usum ab auditoribus
edita.*



FRANCOVRTI,
Excudebat Ioannes Saurius, impensis
Petri Kopffij.
M. D. XCVL

DANIEL HOEHNLI D.
DE VSV ET AP-
PLICATIONE NO-
TIOMM LOGICARVM

DE IVRIS NATVRAM

HYDROLOGIA COCLENIVM

PRAXIS PRACTICIS



FRANCISCVS
Friedrich: Johann Saurer, Leipzig
Johann Kopp



CHRISTIANO LECTORI
S.

HABES, Christiane Lector, quæ Clarissimus vir Dn. D. Daniel Hoffmannus Præceptor noster venerandus, cum recte instituendi Theologiae studii rationem nobis monstrare cepisset, ac de philosophiæ vero in Theologicis usu & de Scholasticorum questionibus quibusdam locum tractaret, de Rudolphi Goclenii viam per abusum philosophiæ ad quemvis errorem in Theologica introducendum latissimam aperientis studio & occultis molitionibus fideliter admonuit: quæ tecum ideo communicamus ut si forte Goclenium philosophici studii magistrum & ducem elegeris, postmodum cautius sequaris, Arriana & Sacramentaria venena philosophico hoc pallio involuta agnoscas & fugias. Continua serie hæc connexa erant, quæ nos, quantum fieri potuit, distinximus & titulos partibus distinctis adiecimus ut lectionem veritatis studioso gratiorem efficere-
mus: His igitur, candide lector, ad salutarem
diuinæ veritatis agnitionem utere nobiscum & vale.

4
INDEX DISTIN-
CTIONVM, PAR-
TIS PRIMÆ.

Theologia vera & sincera qualis sit
scientia & sapientia.

1. De questione: Num Theologia sit scientia
vel sapientia.
2. De sententia scholæ Pontificiæ & Thomæ.
3. Quod Theologia sit scientia & sapientia
sui generis.
4. Scientiam à fide hic perperam distingui
à Scholasticis.
5. Vtrum recte dici possit: scio Deum vel
credo DEVM.
6. Quomodo fides præualeat scientiæ philo-
sophicæ.
7. Vtrum ex articulis fidei possit aliquid
demonstratiue concludi.
8. Quod & quare homini præter & ultra
naturales scientias supernaturalis
doctrina & cognitio sit necessaria.

PAR-

5

PARTIS SECVNDÆ DE
GOCLENII PROBLEMA-
te 51. part. 3.

An, vt prædicatio : Callias est homo
sic ista Deus est spiritus, sit es-
sentialis.

1. *Consilium & scopus Disputationis Go-
clenij & aliorum.*
2. *Quod modi logici respicere debeant mo-
dos essendi.*
3. *De usu modorum logicorū in Theologia.*
4. *An Deus cum a creaturis plus quam ge-
nere exquisito & accurato differat
(quod concedit Goclenius) conueni-
at tamē cum iisdem genere Logico?*
5. *Quod Homines non leuiter literis tincti
Goclenio aduersentur.*
6. *Quod reductiones Goclenii sint minimè
tolerande.*
7. *Quod Goclenij argumentum alienum sit
à scopo, cum ait, Deum esse causam
efficientem &c.*
8. *Quod Goclenius dum remouet Deum in
se consideratum ipso facto probet, se
reductioni suæ diffidere.*

9. *Queritur, cum exquisitū Genus Logicū in commodū sit Deo, quomodo rudius quiddam magis illi conueniat & quomodo accuratus Logicus in non exquisito illo acquiescere possit?*
10. *Si DEVS cum creaturis sub communi genere collocetur, queritur, quomodo non detrahatur Deus à sublimitate sua ad humilitatē creaturæ, vel contra creatura ad sublimitatem diuinā non conscendat?*
11. *Si per genus Logicum Deus à sua sublimitate ad creaturæ humilitatem non detrahatur aut contra, creatura ab humilitate sua ad sublimitatem diuinam non conscendat queritur, quænam DEO quidditas tribuatur per genus illud Logicum?*
12. *Quod natura DEI, Definitionē & naturam generis Logici respuat, probatur Testimonio Thomæ.*
13. *Respondetur ad loca ex Aristot. adducta.*
14. *Etiamsi Entia creata ESSE suum à summo Ente accipiant, hinc tamen generis & speciei cognationem non manare.*
15. *Etiā*

15. *Etiamsi omnia sint Entia & Bona per participationem primi Entis & summi Boni, inde tamen non consequi, eiusdem ad unum genus cum creaturis reductionem.*
16. *Explicatur dictum Dionysii, Deum esse & omnia & Nihil.*

TERTIÆ PARTIS DE INUSITATARVM PRÆDICATIONUM reductione ad problema, 63. 64. 65. partis tertiæ.

1. *Quod Goclenius ideo contendat Deum cum creaturis sub unum genus reducendum esse, ut inusitatarum prædicationum reductionem tueri possit.*
2. *Quomodo à recentioribus certamen de inusitatis prædicationibus renouatū sit.*
3. *Quod disparata, licet eidem subiecto attribuātur disparatorum naturā non amittant.*
4. *Quæ contra disputantur à Goclenio, examinantur.*
5. *Quomodo terminus Disparatorum ad*

- inuitatas prædicationes accommo-
detur.*
6. *Quomodo terminus Disparatorum ad
prædicationem hanc. Deus est Homo,
accomodetur.*
7. *Quod inuitata prædicationes ad vsita-
tum prædicationis Genus non redu-
cenda, sed in sua singularitate reti-
nenda sint, ostenditur è sacris literis.*
8. *Quod Patres & scholastici idem sense-
rint.*
9. *Quod propositio hæc: DEVS est Homo,
per synecdochen sobriè reduci non
possit.*
10. *Examiantur ea que ad communica-
tionem idiomatum similiter accom-
modat Goclenius.*



EXTRACTATV
DE STUDIO THEO-
LOGICO, CAPVT I.
PARS PRIMA.

*Theologia vera & sincera qualis sit scien-
tia & sapientia.*

DISTINCTIO I.

*De questione: Num Theologia sit scien-
tia vel sapientia.*

Hoc caput propterea in-
stitui, non vt scholastico-
rum hac de re discepta-
tiones omnes commen-
darem, & vanis sudoribus
studiosos Theologiæ defatigarē, sed
vt vel auertendæ superuacaneæ solli-
citudinis & litis, vel asseruandæ utilis
obseruationis & cōcertationis curam
accēderem. Vana est disputatio quo-
rundam scholasticorum: *Num Theolo-
gia sit scientia vel sapientia*, cum vtrius-
que definitio a Philosophis petita,

9 IN THEOL. ADMONIT.

neutram largiatur veræ Theologiæ, nisi thesis detur: *Philosophiæ principis Theologiam inniti*. Miror ergo, scientiam illo argumento a nonnullis negari, quo tamē sapientia asseritur, quod nimirum principis vel dictatis rationis, siue scientiæ siue sapientiæ nomine commodior sit. *Scientiam* appellat Scriptura cognitionem Dei, & voluntatis illius, sed nequaquam definitione Aristotelica, siue comparationem habitus, & habitum ipsum siue obiectum censeas. Etsi enim Theologica eruditio, quatenus communis est Sæctis & non Sæctis, comparationem quandam cum Philosophicis habitibus recipit: Prophetia tamen cum dicatur donum intelligēdi, & explicandi scripturam 1. ad Cor. 14. suis nititur principis & regulis singularibus & propriis. Quod si illuminatio mentis renatæ accedat, donum eius scientiæ, licet per verbum auditum, & cogitatum sit accensum, illustriori proprio fulget, tum propter causam, tum propter formam habitus insolentem, &

VSVS NOTION. LOGIC.

supernaturalis cognitionis titulo: etiam inter scholasticos insignem.

DISTINCTIO II.

De sententia scholæ Pontificiæ & Thomæ.

NVM Theologia rectius dicatur scientia vel sapiētia, & num speculatiua vel Practica sit scientia, ideo potissimum in scite & minus Theologice, etsi non sine acumine & argutiis disputant scholæ Pontificiæ, quia Philosophicas definitiones præsupponūt, & postea de accommodatione Theologiæ laborant; cumq; scripturam non habeant comitem, ingeniis certant, quisnam eorum respectus excogitare possit aptiores, qui applicationes apparentes largiantur. Et quamuis alicubi inspergant non contemnenda, præcipuas tamen intentiones suas, inanibus speculationibus impendūt, Thomas in prima parte summæ satisfactorius quæstioni; Num Theologia sit scientia, cum Philosopho, scientia procedat ex principiis per se notis, acumen insigne adhibuit, inquiens:

12 VSUS NOTIONVM LOGIC.

Duplex est scientia, quaedam procedit ex principijs in ipsa per se notis, ut Geometria, quaedam vero procedit ex principijs, nō nisi lumine superioris scientiae cognitis, ut perspectiua, quae procedit ex principijs in Geometria notificatis: & hoc modo sacra doctrina est scientia: nam licet eius principia scilicet articuli fidei, non sint hominibus per se nota, sunt tamen in altiori scientia, utpote in cognitione Dei & beatorum per se cognita. Idcirco quod dicitur, omnis scientia procedit ex per se notis, intelligendum est immediate vel per reductionem ad altiore[m] scientiam. Hæc Thomas, quæ magis expedita essent & perspicua, si dixisset, Theologia est Scientia, non philosophice loquendo, sed modo huic doctrinæ accommodato singulariter. Cumq; hoc ipsum intellexisse visus sit, mirum est illum labore non abstinuisse, quo in philosophiæ & Theologiæ conciliatione & fatigatur ipse, & quod perspicue docere poterat, tricis inuoluit.

III.

III. *Quod Theologia sit & scientia & sapientia sui generis.*

VT igitur præcidatur perplexitas, dicimus, *Theologiam esse & Scientiam & Sapientiam sui generis.* Differre enim a philosophica sciētia & sapientia principiis per se non notis, auctoritate autem Magistri Dei, cui per se nota sunt, firmatis, eiusque peculiari gratia & ἐξουσία seu potentia, per verbū tamen inspirari. Esse & sapientiæ & scientiæ Theologicæ discrimen, hoc testimonio præclare innuitur: *per Spiritum alij datur λόγος σοφίας, alij λόγος γνώσεως*, I. Cor. 12. v. 5. Ad hoc dictū attendentes multis questionibus scholasticis facem præferre possunt: magna tamen difficultas exercuit docentes, in discrimine σοφίας & γνώσεως ostēdendo. Non conuenit discretio per magis & minus, vt sapientia auctior & perfectior intelligatur scientia. Non enim mensura tantum, sed nominibus distinguuntur, & singulis mensura competit, cum vt scientiā, ita sapientiam minorem vel maiorē Spiritus largia-

14 VSVS NOTION. LOGIC.

tur prout velit I. Cor. 12. vers. 11. & Rō.
 12. vers. 6. Sic vtraq; potest esse in sum-
 ma perfectione, distinctione, nō sub-
 lata, iuxta dictum de Christo Coll. 2.
 vers. 3. In ipso omnes thesauri sapien-
 tiæ & cognitionis DEI, sunt abscon-
 diti. Inter varia discrimina, quorum
 aliqua, censurā vsus sacri, alicubi mi-
 nus ferunt, haud dubiè quod ex parte
 cognoscamus, & ex parte prophete-
 mus I. Cor. 13. vers. 9. ij protissimum
 persuadent, qui scientiam de cogni-
 tione doctrinæ, sapientiam autem de
 perito vsu scientiæ accipiunt. Non e-
 nim qui nouit doctrinam, etiam soli-
 dius, statim eâ, pro necessitate & cō-
 moditate sua, & aliorum, sicut conue-
 nit & tempestiuum est, frui vel vti po-
 test. Atq; sic sapientia, maior habetur
 ipsa scientia. Quamuis etiam vtraq;
 in vsu docendi consideretur, cum A-
 postolus λόγον σοφίας & λόγον γνώσεως ap-
 pellet, aliud tamen est scitè doctrinā
 tradere, aliud eandem in πράξει peritè
 accommodare: id quod in aliis disci-
 plinis vsu venit ut in docendo aliquis
 laude-

laudetur Theoricus, qui tamē in pra-
xi siue sibi, siue aliis, sua doctrina in-
feruiturus deficiat. Et hoc quidē di-
scrimen sufficiat, nec ad philosophiā
recurratur, cum Apostolus 1. Cor. 1.
vers. 21. sapientiam Euangelii à seculi
huius σοφία longè remotam esse doce-
at. Utilitas huius est, vt siue scientiam
siue sapientiam Theologiam censea-
mus, vtramq; peculiare donū DEI,
quod mundanis longè præstet, agno-
scamus, & teneamus, vtrumq; χάρισμα
tum ex verbo DEI nasci, tum eodem
regi; ideoq; limitibus iisdem pariter
inclusum esse, sicut Apostolus 1. Cor.
4. vers. 6. vetat ne supra id quod scri-
ptum est sapiamus. Semper autem
plus verbo DEI inesse sciamus, quam
exauriri in hac vita possit, cuius gra-
tia Roman. 12. vers. 3. prohibemur
sapere super id quod oporteat. Iube-
mur autem sapere ad sobrietatem,
provt vnicuique DEVS partitus est
mensuram fidei, σοφίαν enim & φρόνησιν
haud differremultū putabimus, ni-
si quod hanc in diiudicando, illam in
docendo potius vsurpari videamus.

III. *Scientiam a fide hic perperam à scholasticis distingui.*

Scientiam quoq; a fide perperam distinguunt scholæ, intentione tamen laudabili. Est enim fides notitia Esa. 53. vers. 11. *Notitia serui mei iusti iustificabit multos.* Estq; gloriandum de scientia hac, tanquam de dono diuerso a scientia mundana. Ier. 9. vers. 23. 24. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, sed qui gloriatur, in hoc gloriatur, quod sciat & norit me.* Voluerunt enim hoc docere scholastici, quod fides Christiana non paretur demonstrationibus, quæ humanam sciētiam pariant, quoniam fides fit non apparentium, nec principiis philosophicis, seu naturanotis innitatur. Et hoc non male, sed vtiliter monetur, quatenus fides Theologica a scientia philosophica discernitur. Hoc tamen insuper obseruari oportuit, quod scientiam Philosophicā, tanquā sua mole corruentem in diuinis, sacra Scriptura excipiat,

piat & vanā factam de nouo exstruat,
 nouis fundamentis substratis, nouisq;
 firmamētis adiectis, vt sic a sacro pri-
 mordio exculta, euadat in fidem vi-
 gentem robore verbi, propter aucto-
 rem DEVM. Quod enim Philoso-
 phi, quicquid de DEO & rebus di-
 uinis aliquouſq; pertexere videntur,
 quāto curiosius ac accuratius stabili-
 re conantur, tanto minus tandem e-
 ius *πληροφορίαν* tueantur, id docet expe-
 rientia. Et recte Apostolus Rom. i.
 vers. 21. scripsit: *Vani facti sunt in ratio-
 cinationibus suis. Aboletur igitur sapien-
 tia sapientum, & intelligentia intelligen-
 rum tollitur e medio, quoniam infatua-
 tur, & ſua nimia ostentatione, & col-
 latione ad eam, quam DEVS per ſuū
 verbum gignit, etſi tum exculta par-
 tem naturalis cognitionis referat.
 Mundum a DEO factum eſſe, vide-
 tur Philoſophis demonſtrabile, ſed
 quanta cum nugatione & heſitatione
 agitur, vbi ad certitudinem aſſertio-
 nis ſtabiliendam, argumentis proce-
 ditur, & quidem ex quibus principiis,*

B

quando productus sit! Quapropter ad Hebræ. ii. vers. 3. dicitur: per fidē intelligimus mundum constructum fuisse verbo.

V. *Vtrum recte dici possit, scio Deum vel credo Deum?*

HÆc negligentes Scholastici disceptant, vtrum recte dici possit, *Scio DEVM*, vel *credo DEVM*? Sane aliter scitur *DEVS* naturaliter, quam credatur per verbum, Sed tamen, dū creditur, scitur, non tam demonstratione naturali, quam Spirituali persuasione, quæ scientiam & fidem in Theologia gignit & firmat vt siue sic dicas, *Scio DEVM*, siue sic, *Credo DEVM*, vtrumq; verum sit.

VI. *Quomodo fides Christiana præualeat scientiæ Philosophicæ?*

EST & hoc graue offendiculum, quomodo fides Christiana præualeat scientiæ Philosophicæ? *Omni enim scienti, inquit Durandus, potest constare de conclusione scita, quod sit vera, & quod impossibile sit aliter se habere. Sed de*
conclu-

conclusionē, deducta ex principiis tantū creditis, non potest constare deducenti, quod impossibile sit, eam aliter se habere, neg, quod sit vera. Non enim plus constare potest de conclusionē, quam de principiis, cū noticia conclusionū, dependeat ex noticia principiorū. Ad hec respondemus: verbū DEI, esse quidem vnicum fidei principium, sed quod sua habeat κριτήρια, quę Sacra Biblia, arguant esse verissimi DEI verum verbum, et quamuis in his ipsis, subinde nutet mēs humana, ἀνθρώπινωσ agens, tamē DEV S eam per id ipsum verbū illuminando, & voluntatem in obsequiū trahendo, ita firmat certitudinē principij, vt fidelis læto pectore illud sanguine suo obsignare non dubitet. Principio sic stabilito & immoto, quicquid in eo comprehenditur, pari firmitate creditur, vt sic & principii & conclusionū inde depromptarum infallibilis detur

ἀληθοφoρία.

VII. *Vtrū ex articulis fidei possit aliquid demonstratiue concludi?*

LEgatur hic prima quæstio mota in exordio librorum Sententiarum, a *Dionysio Carthusiano*, & inter multos agitata, *An Theologia sit scientia*, cuius æquipollentem *Durandus* hanc ponit, *virum ex articulis fidei possit aliquid demonstratiue concludi, quod vere sit scitum?* Consideretur autē huius circa *Κεῖνεια* Theologica dubitatio, quoniam haud constare posse viatori opinatur, quod **DEVS** dixerit articulum fidei. Contra cuius obiectiones, laborans diluendo *Dionysius*, extremum refugiū habet, in illustratione, apparitione, & allocutione interna, & sane rem acu tetigisset, nisi vt *Ecstaticus Doctor* appellatur, ita ad *Enthusiasticam probationē*, fidei certitudinem reiiceret: quomodo homines a verbo, ad speculationes suas reuocantur, & vero fidei principio, & fundamento destituti, imaginationibus suis nituntur. Si vero ita procedatur, vt *Κεῖνεια* deductioni, qua per-

suasus

suasus homo initio credat, Verbum
 Propheticum & Apostolicum, esse
 verissimi DEI verissimum Verbū,
 coniungatur verbi illius potentia, &
 efficacia, in illuminatione mentis, &
 corroboratione assensus auditoris,
 perpetuo pendētis a verbo, tum quod
 alias perpetuo fluctuat, in animis no-
 stris firmissimū sistitur. Et hinc depē-
 det conclusio *Richardi de Sancto Vi-
 ctore. Quotquot veraciter fideles sumus*
 (id est vera fide per illuminationem
 diuinam, mediante verbo DEI ac-
 censam donati sumus) *nihil certius, ni-
 hil constantius tenemus, quam quod fide*
*apprehendimus. Utinam attenderent Iu-
 dai, utinam animaduverterent Pagani, cū*
quanta conscientia securitate, ad diuinum
iudicium poterimus accedere. Nonne cum
*omni fiducia, DEO dicere poterimus: Do-
 mine si error est, a te ipso sumus decepti; Nā*
ista in nobis, tantis signis, & prodigiis con-
firmata sunt & talibus, quae non nisi per te
fieri possunt, quae & a viris summae san-
ctitatis nobis sunt tradita, & cum summa
atq; authentica attestatione probata, te ipso

cooperante & sermonem confirmante subsequentibus signis? Notetur hic cooperatio Domini, cum verbo prædicato, præter externa miracula, sicut Christus Ioh. 5. vers. 20. viuificationem, quam per Euangelium præstat, inter opera, visibilibus signis maiora refert.

VIII. *Quod & quare homini præter & ultra naturales scientias, supernaturalis doctrina & cognitio sit necessaria.*

QVod & quare homini præter & ultra naturales scientias, supernaturalis doctrina & cognitio sit necessaria, viderunt Scholastici, & tamē quia Philosophorum partes sibi arrogantius sumserunt, & Theologiæ Philosophica commiscere consueuerūt, obscurarunt nonnulli ipsi, quod vidisse deprehenduntur, ideoq; disputationibus hic sese fatigarunt mutuo! Scotus diserte scribit, *Omnes Catholici conueniunt in hoc, quod aliqua supernaturalis cognitio, nobis necessaria sit in via, sed controuersia est inter Philosophos & Theologos;*

logos; quasi vero propter Philosophos, Catholicæ Ecclesiæ confessionē mutare oporteat. Ut tamen istis Patriarchis suis studeret, rationes duas primarias pro ipsorum opinione, protulit. Primo, inquit, Philosophi negant omnem supernaturalem cognitionē, dicentes; *quod dignitas sit natura, quod possit ex se perfectionem suam acquirere. sed intellectus potest acquirere omnem cognitionem necessariam sibi, ex naturalibus.* Insuper ratio, quæ potest intelligere principium, potest naturaliter intelligere omnem conclusionem, intentā & contentā in illo principio. His ita mouet, ut sophisma dicat, quod obiectū ab aliis fuerat, Philosophos nimirū, qui habuerunt naturalem intellectum acutum, quando descenderunt in singularia ad finē, vel fuisse dubios de fine, vel errauisse. Inuenit præterea σοφὸν φάρμακον, asserens potentiam passiuam, seu receptiuam, vno modo comparari ad formam quam recipit, & sic non cadere circa eam, distinctionem naturalitatis & supernaturalitatis. Quid vero hoc aliud est, quam Catholicæ Ecclesiæ fidem in-

vadere, & tamen hoc in istis scholis impune licuit? Excitavit autem DEVS semper aliquos qui veritati suppetias ferrent, sicut supra de arguto illo argumento, quod cognitio conclusionis dependeat, ex cognitione principij, & sic censeatur in gradu suæ certitudinis! Hic vero Dionysius Carthusianus refutandum sibi proposuit Scotū, in nouo inuento, cui hæc pie opponit. *Non est idem modus recipiendi formam, & habitum naturalem & acquisitum, atq; formam & habitum supernaturalem infusum, nec inclinatio mentis creatæ, ad supernaturalem formam, & habitum, naturalis, sed supernaturalis potius censetur, hoc est conueniens potentia, ultra ac supra gradum, & modum ac limitem suæ naturalis conditionis, vtpote per respectum ad finem supernaturalem. Imo si naturalis consisteret, posset a naturali causa compleri & actuari. Et Richardus, quem solidum Doctorem appellant, sic sensit, quod Philosophi, quantumcunque excellentis ingenij, qui non fuerint supernaturaliter illuminati,*

nunquam cognouerint, nec posuerint beatitudinē veram & plenam. Quo signo constat, quod cognitio illius beatitudinis est homini supernaturalis. Hæc ille, quæ cum præcedentibus sunt indicia lucis Evangelicæ, quæ in mediis tenebris Papatus non fuit plane obscurata apud omnes. Sed addamus, & pro decisione huius controuersiæ Scholasticæ, proferamus sententiam Thomæ Aquinatis, cuius autoritatē etiam turba Scholastica Scoto præfert: *Omnes qui recte senserunt, inquit, posuerunt finem vite humanae DEI Contemplationē, Contemplatio autem DEI, est duplex, una per creaturas, quæ est imperfecta, quantum creatura est effectus non proportionatus creatori, sed distans ab eo in infinitum: Idcirco ducit in cognitionē DEI imperfecte, in qua Philosophus felicitatem contemplatiuam constituit, quæ tamen felicitas est via, atq; ad hanc, ordinatur tota cognitio Philosophica, ex rationibus & considerationibus creaturarum procedens. Alia est contemplatio DEI, qua immediate videtur, per suam essentiam, quæ est contemplatio perfecta, & habetur in patria, estq; possibilis*

homini secundum fidei suppositionem, unde oportet ut ea, quae sunt ad finem, proportionentur fini, sicq; homo in statu via, ad illam beatitudinem manu ducatur non per cognitionem ex Creaturis sumtam, sed ex diuino lumine inspiratam. Et haec est doctrina Theologia, cuius est omnibus aliis scientiis imperare, & iis in suum obsequium uti. Hac Thomas in scripto suo.

PARS ALTERA DE GO-
CLENII PROBLEMA TE
51. libri 3.

An, ut praedicatio, Callias est Homo,
sic ista, Deus est spiritus, sit es-
sentialis?

DISTINCTIO, I.

*Consiliū & scopus disputationis Go-
clenii & aliorum.*

LAciniam erroris Scoti, & Paga-
nismi Pontificii, quo supernatu-
ralis intellectus diuinæ Theologiæ ex-
scinditur, haud paruum arripuerunt,
& astute aliis porrigunt hodie illi, qui
profanitate Sacramentariorum im-
buti,

buti, libere autem profiteri metuentes, artificium disseminandi errores Calvinianos hoc excogitarunt, vt Philosophica simulantes, Theologica tractent, aliudq; agere nisi Religionem foede dilutam obtrudant iuuentuti, quæ tandem, eam in Ecclesiam inuehat Calvinianis auditoria corroget, & sinceram Lutheri confessionem eiiciat. Istorum e grege, ducis partes affectat, fucatus quidam amicus noster, (amicum enim se nobis obtulit, verum non probauit) qui Problemata Logica & aduersaria, ad Excercitationes Scaligeri, hoc consilio conscripsit, & edidit, vt nostram Confessionem, de præcipuis fidei articulis, cuniculis oppugnaret, incautisq; venena Arriana & Sacramentaria instillaret. Rogatu autem tum peregrinorum, tum familiarium quorundam, tandem non nihil occultis istis molitionibus opponamus, & quidem ea huc referamus, quæ non sint aliena a præsentis scripti proposito, Consilium autem nostrum contra pericula imminencia muni-

ant. Itaq; initio monebimus de problemate 51. lib. 3. An vt prædicatio, CALLIAS EST HOMO, sic ista: DEVS EST SPIRITVS, sit essentialis. Cuius affirmationi, autor contra ⁱⁿ Philosophicum, proiecta modestia, qua non solum probatissimis Theologis, sed etiam doctissimorum Scholasticorum luminibus obstringitur, superciliose sic præfatur. *Inueniuntur Religiosi, sed vix leuiter literis nostris tincti, (eorum enim summa scientia est nihil scire velle) qui de DEO loquentes, repudiant omnino terminos Logicos.* Equidem non laudo morositatem eorum, qui nihil tale fieri permittunt, cū docendi gratia, sæpe vtiliter, pingui Minerua vtamur. Verum non proposuit sibi Philosophus iste, iniquiores neq; indoctos censores, sed æquissime & eruditissime studiū hoc æstimantes, id quod prodit argumentum, quod sibi Aristarchus eludendū fuit. *Rerum, aiunt, toto genere diuersarum enunciationes, ad eundem prædicandi modum, referri non possunt nec debent.*

Enun-

Enunciationes de DEO & creaturis sunt rerum toto genere diuersarum. DEVS enim ab omnibus est eminentissime segregatus. DEVS & creatura se totis distinguuntur, in nulla natura conueniunt. Ergo non debent, nec possunt referri ad eundem prædicationis modum. Hoc argumentum neruosissimum, thraſonice contemnit ille, quasi sit ὑπόληψις & vana animo præsumta opinio.

D I S T I N C T I O II.

Quod modi Logici, respicere debeant modos essendi.

SED videatur quid contra afferat Magister, *Logicum*, ait, *non considerare diuersos, essendi DEI, & creaturarum modos, sed primum Philosophum, itaque Logicum sub unum genus seu formam Enunciationes reducere has: Gabriel est Spiritus: & DEVS est Spiritus.* Ratiocinatio ista huic est similis. Logicus differt officio, a primo Philosopho. Ergo Logicus non curat veritatem, quam ille. Hoc vere obiici illi a me vt intelligatis, probabo. Quod attinet diuersas
istas

istas considerationes, ferendum est,
 ut suas singulas sibi adferant, conten-
 dentes inter se Logicus & Metaphy-
 ficus, seu falso dictus Theologus, quia
 vero hic cum Logica, committitur
 doctrina verorum Theologorū, quæ
 non humana, sed diuina est, quæq;
 tantum differt a primi Philosophi de-
 cretis, quantum cœlum a terra distat,
 Esa. 55. vers. 8. non satis apposite re-
 spondit aduersarius, immo ne quidē
 in suis scholis satis commode agit, cū
 DEVS & creatura, plus distent, quā
 Ens primæ intentionis, & secundæ,
 etsi analogentur sub Ente per Philo-
 sophum. Rursus, licet Logicus non
 versetur consideratione sua propria,
 circa res & modos Essendi earum, sic-
 ut Primus Philosophus, nequaquam
 tamen si veritatem Logice obseruare
 voluerit, ita negligit intentionem istā
 ut discedat ab ea, & diffideat, sed ma-
 gis illam suæ iungit, ne, quod dicitur,
 aliud noctua sonet, aliud cornix. Sen-
 tentiam igitur *Avicennæ* scolis tritam
 nosce oportuit censorem, quod vide-
 licet

VSVS NOTIONVM LOGIC. 31

licet *Logica sit de secundis intentionibus adiunctis primis*. Custoditur etiam illa hodie apud doctissimos, inter quos est *Matthias Aquarius*, Metaphysicus subtilis & celebris, qui lib. 4. Metaph. textu 2. scribit: *Dialecticus non solum versatur circa Ens quod est in re, sed etiam circa id quod est in mēte, iuxta dictū Auicēnae, quod Logica est de secundis intentionibus adiunctis primis*. Statuit idem hoc congruere ad mentē Aristotelis, qui & hoc immotum tenet, quod modi prædicandi fundentur, super modos intelligendi, & modi intelligendi supra vniuersos modos Essendi. Quomodo etiam modus Essendi, rerum, ita seponi potest, vt appellationē Essentiali prædicationi, apud Logicum non dederit? immo quomodo percipietur ille modus Logicus, notione rei plane semota! Recte igitur Collega noster *Pfaffradus Rami* Magistri sui definitionem vrget. *Axioma verum est, quod pronunciat vt res est*. Omnino etiam tanto hiatu disiunguntur illa, a contradicentibus, quando falsum di-

stat a vero. Vnum quodq; enim, sicut se habet ad esse, ita ad unitatem vt docuit Philosophus Metaphys. 2. quāuis igitur consideratio veri, vt est in Enunciatione, tanquā in signo, vel vt est in intellectu, tanquā in subiecto, ad Logicū spectat, cū subiectum Logicū sit Ens rationis, sub quo continētur dicti duo modi veri: tamē a vero, vt est in re, quomodo Metaphysico deferatur consideratio, non dissidet nisi falsum pro vero subiicere labore Logicus, sed vti res est, ita oportet Logicum & mentem & Enunciationem tum informare, tum cēdere sub pœna criminis falsi. Nisi igitur Logicum falsum testem, itaq; violatorē octauī præcepti constituere velis, adiges eū seuerissima disciplina, vt modos enūciandi & prædicandi, ad modos Essēdi, exacte conformare, & censere discat. Iussit hoc Christus, cum dixit, Sermo vester sit Est, Est, Non, Non. Quod autem hoc excedit, a malo est, seu a Diabolo Matth. 5. vers. 37. Atq; sic apparet, non solum tergiuersari respon-

respondendo nostrum censorem, sed etiam falsitatem moliri, distinctione sua Logici & Primi Philosophi. Quod enim putat frustra cōtradicēte Theologia, & contra hanc, probe Logicum esse, Enunciationes has, sub vnum genus referre: *Gabriel est Spiritus, & DEVS est Spiritus*, hoc tali in statu negari oportet, si Logicum virum bonum & veracem seruari velimus.

III. *De usu modorum Logicorum in Theologia.*

NEquaquam sum adeo morosus, vt non feram docentes iuuentutem, quod essentialis sit prædicatio hæc: *DEVS est Spiritus*, nec impedio, quo minus sese Magister dimittat, ad captum discentis, comparatione harum enunciationum, *DEVS est Spiritus, GABRIEL est Spiritus, PETRVS est Homo*. Hic enim recordor eius, quod Augustinus obseruauit in I. de Doctrina Christiana scribens: *Cum nihil dignum dici possit de DEO, tamen ipse DEVS admisit humana vocis obsequium, & verbis suis gaudere nos voluit.* Per-

C

mitto igitur, vt Logicus, etiam suis terminis vtatur, pro captu discipulorum. Cum autem, idem sibi sumit ardelionis partes, cū autoritate Prætoria, vt Theologo imperet, ne aliter sentiat, quam secundum suos conceptus, quos, oblitus sui muneris, alienis immisit finibus, rei; & veritati hostiliter opposuit, inprimis vero motis controuersis, inter Theologos, de rebus & modis Sacræ Scripturæ propriis, sese inuocatum cum intemperie animi & verborum immiscet, per Logicos conceptus, errores Theologicos saluare, rectiusq; sentientes, petulantius criminari non veretur, hoc sine, vt inuentuti, ab orthodoxorum scholis Theologicis auocate, in Philosophica officina, venena fidei, largius tutiusq; infundat, id quod Problematicus ille Magistrali supercilio factitat, tum iudicio non esse conueniendum, sed talem Logicum, negandum esse virum bonum, qui sui fecit officii, abducere auditores, a conspectu veritatis rei, qua non obseruata,
conce-

conceptus falsos gigni, & pronuncia-
 ri necessum sit. Respondendū quo-
 que illi est, quod eximii Scolastici Do-
 ctiores, respicientes ad historiā Exodi
 19. vers. 13. sibi in tractatione huius
 quæstionis, mutuo occinunt. Bestia
 quæ tetigerit montem non viuet. Mi-
 rum vero est, hominem non videre,
 se absurdū deprehendi, qui, dum sua
 a primi Philofophi propriis discer-
 nat, a verè Theologiæ propriis segre-
 gata, minus agnoscat. Si enim dede-
 cet Logicum, inuadere proprietatem
 primi Philofophi, vt sibi eam vsurpet,
 quam indignum fuerit eodem, rape-
 re proprium Theologi, tanquam sibi
 debitum? Iniquissimum autem iure
 dicemus, quod distinctas considerati-
 ones, non solum a veritate auellit, sed
 etiam in hac ipsa, licet vtriq; scopus sit
 ita diuellit, quasi, eodem colli-
 neare non debe-
 ant.

III. *An Deus cum a creaturis plusquam genere exquisito, & accurato differat, (quod concedit Goclenius) conueniat tamen cum iisdem genere Logico?*

Porro tamen audiamus respondentem ad podnerosum argumentum. *Etsi inquit, DEVS a spiritibus creatis, plusquam genere differt exquisito, & accurato, conuenit tamen, cum iis genere Logico.* Videte vim veritatis, quæ expræsit hanc vocem, *DEVM plusquam genere differre a spiritibus creatis.* Quanta igitur erit distantia inter *DEVM* & compositam Essentiam creatam? Quid vero hoc aliud est, quam præmittere rationem negandi id, quod affirmatiue subtextitur. Oportet enim Logicum inniti veritati, nec ipsi aduersari, quantocunq; alias interuallo, ab ea absit credens prioribus considerationibus. Quod ait, se in concessione, spectare genus accuratum, & exquisitum, interrogandus est, an Logicus non curet genus accuratum, & exquisitum;

quisitum; Item: An tum, cum Logi-
cus minus accurate DEVM confide-
rat, vnde periculum sanæ Theologiæ
immineat, sit licitum, pugnare pro
Logica, & adulterata Theologia,
contra veritatem fidei Christianæ, &
non potius dicendum Logico, aliter
quam aduersari sinceræ Theologiæ
nescio vt in Ecclesia taceat? Non e-
nim mulieri duntaxat 1. Tim, 2. vers.
11. 12. sed etiã Philosopho deceptor,
Coloss. 2. vers. 8. prohibitum est in
Ecclesia loqui & docere. Remitten-
dus autem est. Problematicus ad di-
stinctionem 8. lib. 1. Sentent. vbi Ma-
gister ex Patribus & aliis fundamen-
tum iecit eius sententiæ, quæ Schola-
sticis doctissimis placuit, *Quod videli-
cet DEO, non conueniat ratio vniuersalis,
seu generis, aut speciei, vel esse in genere vel
in aliquo Predicamento.* Hac de re suf-
fragia quædã Doctorum collecta legi
possunt apud Dionysium Carthusia-
num in dictam distinctionẽ commẽ-
tantem, vbi non tam vota, quã ratio-
nes eorũ ponderantur, & contraria
etiã refelluntur.

V. *Quod homines non leuiter literis tincti Goclenio aduersentur.*

QVia vero Censor Theologorum Philosophus, illos vel leuiter literis, scilicet suis, tinctos existimat, adscribam huc testimonium diuersū & grauius. Postquam enim *Dionysius* recitasset, conclusionem *Vdalrici* Argentinenfis, quam satis fundamentalem, iuxta doctrinam Peripateticorū agnoscit, quæq; approbatur calculis *Thomæ Aquinatis*, *Alberti Magni Bonauenturae*, *Aegidij Romani*, & aliorum, qui sine controuersia doctissimi habiti sunt a doctissimis, & talis ibi legitur; *Certum est, quod Deo, qui est purus & simplicissimus actus, non competit esse genus, nec esse in genere, nec esse eius determinatur aut contrahitur, ad gradū certum perfectionis per differentiā, cum sit ENS illimitatum, simpliciter, uniuersaliterq; perfectum, ideo non est Species, nec Individuum Speciei, sed extra & supra omne ac ordinem rerum per eminentiam infinitam.* Hac inquam decisione recitata *Dionysius* subiicit.

subiicit. *Ista est doctrina Avicenna & Alifasaris, aliorumq; antiquorum, imo Augustini in textu. Boëtij, Damasceni, Anselmi, & qui aliter vtuntur nominibus Generis, Speciei & differentia ponēdo ea in Deo, abusive loquuntur, & prorsus improprie, & indocte.* Hęc ille non indoctus doctissimorū vestigia legens. Etsi quoq; hic finduntur Scholastici, Gregorius tamen Ariminensis, quia alias laudandus est, quod Scholastico Pelagianismo se opposuit, cum paucis affectis, contrarium opinantibus, numero, auctoritate, & rationibus superatur, cumq; Scotus in illud dissidiū incidisset, mediam excogitare maluit opinionem, quam Ariminensi recta ad stipulari, quam ipsam quoq; commemorat & refutat Dionysius, qui insuper observavit in Scoto, quod reprobans hoc argumentū (*Deus continet in se perfectionem omnium generum. Ergo non est in genere*) paulo post in idē incidit, affirmans videlicet quod reprobarit, siquidem dicat. *Deum non esse in generatione sua absolute infinita-*



tis. Quid vero hoc aliud est, inquit Dionysius ille, quam dicere, quod Deus non sit in genere, quia contineat in se omnium generum & omnium rerum perfectionem omnimode? Est & hoc memorabile, quod sic apud Dionysium legitur: Postremo, inquit, constat ex habitis, quam inconueniens & absurda sit quorundam opinio, dicentium, quod Ens non solum uniuoce de Deo, & creaturis dicatur, sed item quod Deus sit in predicamento ac genere in tantum, ut quidam dixisse legatur: quod Deus seu diuina essentia in quantum quidditas non est dignior, quam quidditas Asini, quod auribus vere religiosis detestabiliter sonat, & honorificentie superdignissimi Dei contrariatur, de quo cum omni reuerentia & timore loqui debemus, quemadmodum Alexander in suis obseruat ac loquitur libris in tantum, ut beatissimus Dionysius & Damascenus affirmant, non esse audendum aliquid de superessentiali dicere deitate prater ea, que scripturis traduntur. Hæc ille, Quæ si legisset Censor ille Problematicus nec dudorem omnem cum timore Dei exuere uolisset,

luisse, metuisset sibi a blasphemie crimine, defensurus quod tueretur, neq; Religiosulos calumniatus esset eos, qui cum *Augustino* facientes, verbo nimirum Dei persuasi, *reuerenter de Deo & cogitare & loqui*, quantum possunt, student. Adhuc autem veterum & laudatissimorum collegia consulat plagosus Magister, antequam illos, suas in scholas ad vapulandum pertrahere conatur, & quos ipse, ad accuratum & exquisitum genus attendisse non poterit inficiari, ubi videlicet negant, ipse quod affirmat, istos agnoscat doctissimos, & posthac abstineat a calumnia, qua mundi lumina, & in his Lutherum, cum primariis patribus, tanquam leuiter literis tinctos, suorum auditorum derisioni propinat.

VI. *Quod reductiones Gocleny sint minime tolerande.*

FAllitor quoq; dum miser, & in libro pelago naufragus, in reductione portum sperat; *Deum*, inquit, *considerari vel in se, non relatū, ad creaturas*
vel

vel respectiue, vt essentia & creaturarum perfectionis causam. Hoc posteriori modo spectant in primis predicationes de eo à vā yssai reduci ad logicas: Sudores autem hi fuerunt Scholarum veterum, non tam vt Deum in Generis classem exquisita eruditione cogere præsumerent, quam vt eos non nihil excusarent, qui contra accuratam doctrinam, alicubi vel viderentur, vel cogentur loqui. Huc vero deferri docendo, & contra sincerioris Theologiæ assertores, pro deprauationibus contendendo, quod Deus cum creaturis, vnum idemq; genus, si non directe, per vim tamen reductionis subire debeat, hoc est audaciæ minime tolerandæ.

VII. *Quod Goclenij argumentum sit alienum a scopo, cum ait Deum esse causam efficientem.*

NE tamen in hoc balneo Censor desudare refugiat, detinendus est aliquot necessariis quæstionibus. In primis autem reuocetur ipsi in memori-

moriam, quod de Deo disceptet contra professionem nostram, Beza, aliisq; Sacramentariis oppositam, & velit Deum cum creaturis, sub certum logicum genus constringere, vt has prædicationes: *Deus est spiritus, Callias est Homo, Angelus est spiritus*: ad vnã formam regularium, *essentialẽ* videlicet, eamq; *vsitatã* redigat. Hic ille Aristarchus Theologorum & Logicorum iubendus est, vt quæcunq; de reductione instituat, ad hunc scopum quomodo collineent, diserte doceat, & sic ante omnia monstret, quomodo problematis ratio inuoluta sit respectui causæ illius, quam definit, efficientis nimirum: Problema certe hunc respectum nullo iudicio intendit. Deinde alienus est a proposito, cum quæritur. *Num Deus sit in genere, & quidem in prædicamento vsitas, & absoluto?* Huc enim problematicum adigit, assumptio quæstionis de Deo simpliciter vt eius beneficio, quæstionẽ de propositione, *Deus est Spiritus*, & quidem statuens, quod sit vsitata effe-



tialis prædicatio, expediat. Quod enim problemate 63. confidenter dicit. *Quam vsitatum est dicere, Plato est Homo, tam vsitatum est dicere, Deus est Spiritus,* id problemate 51. voluit disputando euictum. Quæ autem est conuenientia prædicationis essentialis cum respectu causæ efficientis? Rursus cum vna eademq; ratio, Deo & creaturis accommodanda sit, doceat nos Magister, quomodo distinctio causæ, & effectus, perfectis & imperfectis, ad vnã illam rationẽ conspiret, & quo processu eo reducantur distincta, fiatq; illud procliui aluceo, & tam euidenter, vt cuius promptum sit, videre reductionis facilitatem & certitudinẽ nulla contorsione violenta suspectam. Sciat autem Magister noster ante omnia, Deum relatum ad creaturas vt causam, cogendum esse cum creaturis in communionem essentialis, & quidem vsitatam, sic dictam respectu naturalis rationis, seu talis, quæ ad naturam creatam, non creatam, ab origine est composita, & per cursum naturæ prolata. VIII.

VIII. *Quod Goclenius dum remouet Deum in se consideratum ipso facto probet se reductioni suae diffidere?*

Porro quærat ex Aristarcho, an non suscepti laboris diffidat successui cum Deum a se simpliciter considerari negat. Si enim de Deo in se considerato negatur, quod sub genere logico contineatur, tum coram cordatis, vicit nostra sententia. Cur vero auditorium suum detineat in rudioribus? Si enim accurate agere vellet, non remoueret Deum in se consideratum, de quo taliter considerato est quæstio.

IX. *Queritur, cum exquisitum genus Logicum incommodum sit Deo, quomodo rudius quiddam illi magis logicae conueniat, & quomodo accuratus logicus in non exquisito illo quiescere possit?*

Vlterius respondeat, cum exquisitum genus logicum incommodum fuerit Deo, quomodo logice com-

commodius illi sit, ruidius quicquam?
 Addatur, num reductio fieri debeat
 ad accuratū vel non accuratum? Sic
 iterum quærendum erit, quid accu-
 rato Logico respondendum sit, qui
 indigne ferat, auditores per tam lon-
 gas ambages circumductos, tandem-
 que ad finem reductos, non constitui
 in loco quietis? Quiescere enim in
 non exquisito non potest, qui ex culte
 doctrine comparande gratia peregri-
 natus fuit tam diu cum præceptore,
 & hac spe ductus, ne post exantlatos
 labores audiret, se leuiter literis tin-
 ctum esse.

*X. Si Deus cum creaturis sub communi ge-
 nere collocetur, queritur, quomodo non de-
 trahatur Deus a sublimitate sua, ad humi-
 litatē creaturæ, vel contra creaturæ ad
 sublimitatem diuinam non
 conscendat?*

Satisfaciat etiam Doctor Doctorū
 huic metui, cum respectus, quō
 Deus, vt causa refertur ad creaturas,
 ideo detur, vt inde concipiatur Ge-
 nus,

nus, quod sit causæ & effectis com-
 mune, quomodo non detrahatur
 Deus, a sublimitate sua ad humilitatē
 creaturæ, vel hæc ad illum summum
 gradū non ascendat. Vtique docti o-
 mnes, qui in hac disputatione versati
 sunt, viderunt, sibi hic crucem figi a
 Theologis. In Quidditate enim con-
 ueniunt, quæ genere conueniūt. Aut
 igitur Deo in genere non erit alia ne-
 que dignior quidditas, quam crea-
 turæ: aut genus non erit idem. Hic
 interrogatus Problematicus sature-
 tur problematis Theologicis, vt in
 multis sese hæere videns, intelligat,
 hic non agi tantū de logicis siue seriis
 siue lusibus, sed in primis de veritate
 fidei Christianæ. Hanc vero cū sua re-
 ductione multipliciter violet ille, ali-
 terque emendari non queat, incusso
 metu æternæ damnationis, tanquam
 salutis prodigus, adigatur ad desertio-
 nem studii, quod in hæreses &
 blasphemias desi-
 nit.

XI. *Si per genus logicum Deus a sua sublimitate ad creaturæ humilitatem non detrahatur aut contra, creatura ab humilitate sua ad sublimitatem diuinam non conscendat, queritur quænam Deo quidditas tribuatur per genus illud logicum?*

SI logicum certamen redintegruerit, quærat ex eo magistraliter. (Sat enim diu pro Magistro habitus, officio suo defuit) quæ sit illa quidditas Generis, ex dato respectu resultans, definitæ mox subiiciatur applicatio rei. Hic vero in angustias compulsus, solabitur se conceptu logico, quem alias, sine collatione ad rem, nulloq; metu si a re dissonat, vel ei repugnet, tueri non erubescit. Urgetur est autem, quod Deo quidditatem tribuat, desinentem in nullitatem, cui res non subfit, ideoq; nec veritas in fit. Confugiet autem denuo, ad licentiam Logicæ speculationis, quam non secus defendet, atq; cum de chimæra ludit. Accersatur ergo

go huc problema 60. vbi γενικόν constituit (*quod est non ENS*) subiicitq; enunciationē de illo veram hanc *chimæra est non ENS*. Quid vero aliud fiet, si DEO detur Genus logicum, nec a re abstractum, nec rem habens, cui conformatum sit, quam quod Genus illud ad non Entia reducatur. Egregia vero reductio, quæ Deum & chimæram vni γενικόν subiiciat. Etsi vero idolum hoc mentis nihil est, ad illud tamē conuerti, vt in eo colendo, præcipua opera infumatur, vere erit idololatricū, maxime cum Theologorū certaminibus decidentis, idolum illud tanquam numen præficiatur.

In his & similibus quæstionibus, ille amicus quondam noster, grauitè exercendus fuerit, donec discat, se imagine eruditionis deceptum esse, & cesset suo spectro terrere Theologos & seducere simplices.

D

XII. *Quod natura Dei Definitionem & naturam generis logici respuat, probatur testimonio Thomae.*

Contentioso etiam hic labor imponatur, ut si non Lutheranos, quorum summam scientiam facit nihil velle scire, Calvinianos saltem accurate ut similiter alios erudire queant, doceat, quomodo reduci possit Deus ad genus Logicum, qui totam definitionem generis respuit? seu quomodo praedicationes diuersissimae (*Deus est Spiritus, Callias est Homo, Angelus est Spiritus*) ad unam formam Generis logici reduci possint? conciliata illa dissensione inter naturam Generis & naturam Dei? Ut vero adolescentibus sit copia agitando hanc quaestionem in nervis ipsis, adscribam ingeniosissimi & doctissimi Magistri sententiam, cui in Scholis communissimae antiquae & moderni orthodoxi Theologi omnes consentiunt, Sic enim Thomas in prima parte Summae: *Aliquid est in Genere dupliciter*

VSVS NOTION. LOGIC. 58

placiter, primo simpliciter ac propria, ut species & contenta sub eis, secundo reductiue, ut principia & priuationes, quemadmodum punctus & unitas reducuntur ad predicamentum. Quantitatis tanquam principia; Cacitas vero & omnis priuatio reducitur ad Genus habitus sui. Neutro autem modo est Deus in Genere. Quod enim esse non possit alicuius generis species, tripliciter potest ostendi, 1. Quoniam species constituitur ex Genere & Differentia, semperque id, a quo sumitur differentia constituens speciem, habet se ad id unde sumitur Genus, sicut actus ad potentiam, quemadmodum rationale sumitur a natura intellectiua, animalis a sensitua, quae se habet ad intellectiuam sicut potentia ad actum. In Deo autem nihil est potentialitatis, 2. Quia cum esse Dei sit eius essentia, si Deus esset in aliquo Genere oporteret quod ENS esset genus ipsius, Genus namque significat essentiam rei cum predicetur in eo quod quid. Philosophus vero 4. Metaphysic. probat, quod ENS non possit esse Genus alicuius, omne siquidem Genus habet differentias, quae non participant essentiam Generis, sed nulla va-

let differentia inueniri, quæ sit extra ENS, nec eius naturam participet, cum Ens sit de omnium intellectu. Non est ergo Deus in Genere, 3. Quoniam omnia quæ sunt in Genere uno, communicant in essentia Generis, quod predicatur de eis in eo quod quid, & differunt secundum esse. Non enim est idem ESSE hominis, & ESSE equi, nec esse hominis huius & esse hominis illius, sicq; oportet, ut eorum, quæ sunt in Genere, differat esse & quidditas, quæ in Deo sunt idem: Idcirco non habet Genus, nec differentiam, nec definitionem, quia definitio ex Genere ac differentia constat, nec eius demonstratio nisi per effectum. Demonstrationis enim medium est definitio, At vero quod Deus non sit in Genere per reductionem hinc patet, quod principium, quando reducitur ad aliquod Genus non se extendit ultra Genus illud, sicut punctum non est principium, nisi quantitatis continuæ, & unitas quantitatis discretæ. Deus autem est principium totius ESSE, non ergo continetur in aliquo Genere sicuti principium. Si autem obiiciatur, quod Deus est mensura omnium Substantiarum: Ergo est

in

in Genere Substantia: respondendum, quod mensura proportionata est in eodem Genere cum mensuratis per eum. Deus autem est superexcedens rerum mensuram. Hæc Thomas in summa. His spero expedita esse quæ nos præstare oporteat, itaq; illa, quæ exemplis inexplicatis subiecit problematicus nullius momenti erunt. Nisi enim Reductionẽ eruditam & constantem probauerit, vana erunt exempla eius. Et si saluare ea voluerit, Aristarchus noster necesse est vt omnibus, quæ hætenus de Genere & specie dicta sunt, prius satisfaciatur.

XIII. *Respondetur ad loca ex Aristotele adducta.*

NE tamen authoritatibus propositis insolescat Magister, notandum est, quod Aristoteles in 1. Politicorum nequaquam adserat: Deum nobiscum Genere coniunctum esse, sed quod ille Censor, commentum istud suum intulerit, in textum Philosophi. Hic enim agit de imperio

paterno, vt similitudinem ostendat Regi. Atq; huc citat Homerum qui Iouem patrem appellarit hominum atq; Deorum, omniumq; regem, & sic concludit. *Debere quidem Regem differre a subditis quos, qua excellentiam spectat ordinis & animi, vt sunt ætas & Sapientia, ἢ γένηται εἶναι τὸν αὐτὸν, genere autem eundem esse, quod porro ostendit collatione Senioris ad iuniorem, parentisq; ad filium. Quis vero adeo desipit, vt non intelligat, hæc ad quæstionem. Num Deus cum creaturis sit sub uno genere: minime pertinere? Si enim fabulam de Ioue retexere libet, ne quidem habendus est ille pro Deo, quem Aristoteles primam causam fecit omnium, ne dum comparandus, cum vero Iehoua nostro. Constat enim Iouem Homeri hominẽ fuisse, qui dominatum per fas & nefas ambierit, & obtinuerit, neq; id ignorauit Philosophus, proindeq; suum Deum, quem summum sine illo antecessore ab æterno constituit, ad ordinem inferiorem redigere non instituit.*

Natus

Natus utiq; fertur Iupiter patre Saturno, matre Rhea, quem cum pater siue oraculo monitus fore, ut a filio e regno pelleretur, siue alia de causa occidere vellet, mater subduxit, ut superesset, qui Saturnum regno exeret, & in exilium ageret, quemadmodum & Saturnus suo patri capto subsequit partes, unde creatus erat. Cumq; post exactum parentem, inuitis omnibus Diis, hoc est potenti- bus aliis, regnarit tamen Iupiter, Rex Deorum & hominum dictus fuit, nihilq; minus quam pater, qui ne quidem filius nisi sceleratus haberi potuit. Horum conscius Aristoteles, non ita deliravit, ut Iouem primam causam omnium, contra historias & fabulas omnes crederet. Adulatorium tamen mendacium, vulgi carmine homerico asseruatum allegavit, non ut veram historiam, sed ut testimoniũ vetustæ opinionis fabulis illigatæ, quale videlicet oporteat, esse regium imperium, quod homo in homines suscipit vere cognatus genere suis

subditis, sicut pater quos creauit liberis. Et haec tenus Aristotelis sententia laudanda est. Quam vero pudendum erit, Deum verum, qui est Iehoua patefactus Ecclesiae, & pater hominum multis nominibus vere dictus, sic genere eundem nobiscum statuere, sicut in Repub. terrena, homo regnans, hominibus est *συγγενής*, quibus imperat. Quod si illa non est fingenda *συγγενεία*, ut certe non est toleranda, quia & mendacium est, & creatorem creaturis exæquat, haud remorum erit a profanissima impietate, dare tamen illam, ut hypothesein veram ad probandum, quod Deus & Homo eidem generi subiaceant. Atque sic prodidit Magister noster, qualem reductionem meditetur, ut Deum generi subiiciat, talem videlicet, quod sicut eminentior Regum, Deusque fictitius vere ex hominibus ortus, habeat se ad subiugatos homines, aliosque reges & Deos cognatione generis & speciei. Ita verus Deus, a quo sint omnia, quique a nullo, habeat se ad suas
crea-

creaturas simili cognatione. Cumq; nihil tale cogitarit profanus Aristoteles, hoc ipso figmento læditur auctoritas philosophi, Longe vero turpius est, Christianum in meditullio christiani orbis, gentili tantum affingere portentum, vt auctoritate pagana, premantur sinceri Theologi Christiani. Non absimile est quod Censor noster ad 12. Metaphysicorum pro-uocat. Vbi sane Aristoteles ex eo quod Homerus multos imperitare malum duxerit, ideoq; vnus dominatum probarit, confirmat suam de vno Deo sententiã, haud dubie munire se volens auctoritate antiquitatis, cum coram Hierophonte Sacerdote, propter hoc dogma (de vno Deo) tanquam nouę religionis author, patrięq; hostis accusatus, & in periculum vitę adductus fuisset. Hic tamen non nego ascensum in rebus creatis, per ordinem causarum, vsq; ad primam, eamq; vnã, nec non varia reductione multitudinis, ad vnitatem, vnde procedit, obseruare lon-

ga serie similitudinem operationis, quam Censor noster deflectit ad cognationem generis & speciei. Manifestum etiam est, ex essentia creaturarum, colligi essentiam creatoris, tanquam principii non sine specie *ουνογενείας* summæ essentiaæ cum effectis ab ipsa. Verum cum creator non ex se gignat creata, quemadmodum ex puncto linea, vel ex vnitatis multitudo producit, sed extra se vel ex nihilo, vel vnum ex alio creauit, ut ipse pars creaturæ non esset, hac animaduersione, apparens Species cognationis euanescit. Imo cum Aristoteles creationem ex nihilo plane ignorarit, aliis tamen indiciis motus affinitatem primæ causæ cum secundis, & vnitatis summæ essentiaæ cum multitudine inferiorum negauit, vnde in Scholis communissima est sententia. *Intelligentias omnes præter primam posse dupliciter considerari, sub ratione Generis, & sub ratione Speciei. Item primum mouens quod est Deus, potissime habet esse. Igitur Deus maxime est vnus, adeo ut in plures diuidi nequeat.*

nequeat. Consequentia probatur, quia eo modo, vnaquæque res habet esse, quo possidet vnitatem. Deus autem simplicissimam vnitatem possidet. Ergo diuidi non potest, quin diuisio tendat in non esse. Vt vero ad Iouem reuertamur, quatenus intelligentia fingitur, & motor sui orbis, philosophicum est & Iouem & patrẽ eius Saturnum concipere tum in quantum ENS, tum in quantum tale ENS est. Differt autem Saturni intelligentia a prima, quæ est forma liberata a potentia. Ergo & a Iouis potentia libera erit prima intelligentia, vt sic reductio ad Iouem nondum sit reductio ad Deum, quem Aristoteles supra Iouem collocauit, nedum ad verum Deum nobis patefactum.

XIIII. *Etiam si Entia creata ESSE suum a summo Ente accipiant, tamen hinc generis & speciei cognationem non manare.*

Pergit se tueri Magister affirmando, quod vsitate dicat philo-

sophus. *Entia dici & esse Entia* *ὡς ἀδ' ἐνός,*
a summo Ente illo Deo. Equidem omnia
 Entia creata, ESS E suum a Deo ac-
 cipere non inuitus largior. Verum
 hinc manare simul cognationem ge-
 neris & speciei inter creatorē & crea-
 turas, hoc nego. Et huc pertinet ob-
 seruatio quorundam, contra istam
 generis rationem producta, quod vi-
 delicet iuxta *Alexandrum & Themi-
 stium Aristoteles* in 3. *Physic.* distinxerit
duplex Ens, unum actu, ut est Deus, alterū
actu & potentia, & hoc tantum diuiserit in
decem prædicamenta. Certe quia in
 Deo simplicissimo & purissimo actu
 non debet dari actus & potentia. Ic-
 circo generis etiam ratio ad Deum
 accommodari nequit, cū quod con-
 tra naturam fiat non conueni-
 re sed discrepare de-
 prehenda-
 tur.

XV. *Etiā*

XV. *Etiam si omnia sint Entia & bona per participationem primi Entis & summi Boni, inde tamen non consequi, eiusdem ad unum genus cum creaturis reductionem.*

Simile est quod inquit, *Omnia esse Entia, & bona, per participationē primi Entis (quod est perfectissimū subsistens) & summi boni. Nisi enim doceatur, participatum a Deo, esse eiusdem naturæ & essentia cum Deo (qui vel deficiabit creata omnia, vel Deū de gradu summo detrahet, & æquatum creaturis, etiam ad ima earum subsellia detrudet) non consequitur ex participatione ista reductio Dei, ad unū cum creaturis genus.*

XVI. *Explicatur dictum Dionysii, Deum esse & Omnia & Nihil.*

Duplicem, inquit ille Censor, considerationem Dei, videtur agnovisse Dionysius Areopagita, qui dixit, Deum & omnia esse & nihil. Omnia, quia quicquid est illum participat, nihil vero, non quidem defectu, quasi essentia illum defici-

at, sed quoniam omnia quae sunt excedit. Illum vero Dionysium schelastici frequenter citant contra propositum huius Magistri, ut videlicet negent Deum esse in genere, cuius hæc ab ipsis retinetur & inculcatur sententia, quod omnes affirmationes de Deo sint impropriae, quoniam repugnent perfectioni Dei propter tria, 1. Quoniam nomina frequenter designant id compositum quod in Deo sit in fine simplicitatis, 2. imperfecte, quod perfectissima in Deo, 3. Accidentaliter, quod in Deo sit substantia. Negationes autem de Deo dixit Dionysius veras esse ac proprias, ut cum dicitur incorruptibilis, incorporalis, immortalis &c. Eidem authori deferunt Scholastici quod Deum supersubstantialem primus hoc sine appellavit, ut ex classe generum illum eximeret. Verum & hoc est, quod dixit Deum esse vitam & non vitam, iuxta quod intelligendum est, quod Deum dixerit Omnia & Nihil. Deus est vita, quoniam ipse est sua vita infinita, incomprehensibilis nobis. Deus est non vita,

VSUS NOTION. LOGIC. 63

vita, quod scilicet nomen sonat, & nos capere possumus, quam vitam sic excedit Deus, vt potius non *vita*, quã *vita* illa sit. Atq; sic mentem eius exponunt & obseruant Scholastici. Sic ergo & illud accipiendum fuerit, *Deus est omnia & nihil*. *Omnia* quatenus perfectio omnium in ipso est, *Nihil* quatenus omnia excedit, & tanquam nihil post se relinquit. Hinc nobis hoc emergit lucri, adeo non posse ea, quæ ex Dei effectis, ad ipsum describendum promuntur, illuc conduci, vt Deum cum creaturis generi subiciant, quin statim atq; cognatio eo reducatur, dictum annihiletur. Et tantum de responso Magistri ad problema ipsius si.



64 IN THEOL. ADMONIT.
TERTIA PARS DE
INUSITATARVM
prædicationũ redu-
ctione.

Ad problema 63. 64. 65. partis 3.

DISTINCTIO I.

*Quod Goclenius ideo contendat Deum cum
creaturis sub vnum genus reducendã esse,
vt inusitatarum prædicationum re-
ductionem tueri
possit.*

QVæ vero hætenus examinaui-
mus, ijs author voluit fundamẽ-
tum iacere, cui superstrueret illarum
prædicationum, quæ nos inusitatas ap-
pellamus, ille vero figuratas, & tropi-
cas facit, reductionem ad modũ Re-
gularium. Nisi enim Deus cum
creaturis vni generi accommodari
queat vlla reductione, sentit ille im-
possibilitatem reuocandi modos di-
uinos ad eos, qui creaturarum tantũ
ordini inuenti & aptati sint. Præcon-
cepta autem opinione quod Deus se-
se in ordinem creaturarum, ratione
generis

generis redigere siuerit, haud stulte sperat reductionem inusitatarum enunciationum ad genus Regularium promte secuturam, quod nullo modo inter orthodoxos ferendum erit.

D I S T I N C T I O II.

Quomodo a recentioribus certamen de inusitatis prædicationibus renouatum sit.

INitio autem obseruent adolescentes historiam aliquot annorum. Cum anno 83. prodiissent meæ de inusitatis prædicationibus quæstiones, & quod illæ neq; propriæ, neq; figuratæ essent, neq; ad proprias reduci possent, responsiones, habita est anno proxime sequenti disputatio Heidelbergæ præside Grynæo, qui cum a quodam opponente hac ipsa quæstione exerceretur, etsi tempus deliberandi sibi sumisset, reuersus tamen ad respondendum sese expedire non potuit, publicis autem inuectiuis eodem anno insurgentibus aduersus me Beza & Pezelius, ex quibus hic ner-

E

uum haud attigit, ille vero arrodere quidem laboravit, constituere autem apud se tum nondum poterat, quod constanter tueretur. Postquam enim disputationes Thomæ Aquinatis, quod propria sit enunciatio. *Deus est homo*, & commonefactionem Vrsini contra Chytræum tum recens editam, de Reductione talium prædicationum ad Regulares iuxta modum figuratarum in medium produxisset, hisce se verbis mox se periculo subduxit, & in tutum recepit. *Ego, inquit responsione ad me prima pag. 71. de huius enunciationis veritate nihil ambigens, quid de ipsius vel proprio vel figurato loquendi genere mihi videatur, dicere hoc loco & tempore non constitui.* Ne tamen deessent audentiores interpolatores eius sententiæ, quam contra inusitatum genus locutionum aliorum potius, quam suo periculo cupiebat adfertam, subiecit absolutionem ab hæresi, *tantum, inquit, dico falsum esse, quod ais Hoffmannæ, nempe quod hæc enūciatio, Deus est homo, non possit citra hæresin esse tropica.* Agitatis igitur variis confi-

liis, conuenit anno sequenti (85.) vt orthodoxo consensui recognito hæc quoq; disputatio infereretur, & abiecta siue hæfiratione siue occultatione Bezæ, quæ tamen speciem modestiæ præ se ferebat, impudentius & confidentius pronunciaretur, hanc videlicet locutionem, *Deus est homo*, velut rerum inter se disparatarum inusitatam esse vesane contendit, & insanissimos esse omniumq; nugacissimos dipnosophistas, qui eodem referant Sacramentales locutiones. Hæc cum iacta esset alea, mox plures illusores veritatis extiterunt, inter quos Piscator audacior, Goclenius vero timidior, ambo autem studio quodam philosophico, pariq; intentione Lutheranam veritatem destruendi quanto potuerunt conatu decretum Calviniani consensus defendere sunt ausi. Et primam quidem Sophisticandi materiam isti Scioli constituunt doctrinã de Disparatis. Cumq; Dn. Melanthon diserte scripserit, In hac locutione. *Deus est homo*, di-

Separatum de disparato prædicari, cæcodoxus Calvinianorum consensus iudicat, id vesane fieri. Tanta autem infamia notatur a maledicis vir doctus in doctrina sapienter tradita, propterea quod isti maligni neruo veritatis pressi malevolentia suæ pabulum aliquod reperiunt in *λογισμῶν* qua non solum eruditionis, sed & sanæ mentis usum dorogent præcepto-ri laudatissimo. Ne vero iuuentus furo eruditionis capta sceleri illi cōmunicet? monenda est grauitè.

III. *Quod disparata, licet eidem subiecto attribuantur, disparatorū naturam non amittant.*

Disparati appellati quibusdam latius patet, quam cum apud Ciceronem definitur, quod ab aliqua re separatur per oppositionem negationis. Species enim diuersæ etsi nec illam oppositionem nec contrariam inter se actionem habeant, item abstracta in singulis prædicamentis & abstractè voces aliorum prædicamentorum

torum cum Substantiis comparata, dicuntur tamen disparata Melanthoni & Bezæ. Imo Beza etiam vnus vocis disparatum significationem statuit. Cum Iohannes Elias & non Elias dicitur. His data est hæc lex: *posita vna specie remouetur omnes disparata*, quæ regula vniuersalis est contra confusiones disparatorum, neq; tamen enunciationes, in quibus disparata iunguntur, propter quandam vnionis necessitudinem ista lege prohibentur. Quapropter falsissima est regula Bezæ. *Quoties disparata eidem subiecto attribuuntur, necesse est vt aliquid horum proprie, aliquid figurate accipiatur.* Exemplum dedi satis illustre, quod fides sit notitia, assensus & fiducia apud Melanthonem.

IIII. *Quæ contra disputantur a Goclenio, examinantur.*

HIC ille noster quærens sibi laudē ex deformatione amici, prima parte suorum problematum numerosi errorē mihi affingit inquit: Do-

Etorem illum errare hic dico, quod noticia, assensus & fiducia fidei attributa non sint disparata. Funguntur enim vice unius generis, itaq; sensu sunt unum *ὄνομα*. Equidē non sum nescius, generis loco illa esse in definitione coaceruata, sed unum propterea inter se disparata esse cessant in ipsa definitione? num unum est alterum? num autoris vel auditoris *ὄνομα* facta discretionem disparatis competentem amittunt, ut illi singulorum significata non attendant, sed in unum conflent, ut in unū quasi puluerē confundantur omnia? Quid dicet, cum prædicantur de Deo bonitas, sapientia, iustitia, misericordia &c. quæ non sunt disparata in Deo ut in creaturis, sed & ipsa essentia, & eadem indiuisa essentia Dei? Audiatur hic Occam, vel hunc sequentem Danegum: *Si ea nomina Dei, inquit, omnia unum quiddam nostræ intelligentiæ ratione & omnino simplex designarent, non possent significata & conceptus eorum nominum in nobis esse distincti & diuersi.* Iam vero Notitia assensus, fiducia, & per

per se disparata sunt iuxta definitionē
 Beze, & subiectis distincta sunt, quod-
 quæ sunt singula, id in ipsa coniuncti-
 one manent, neq; ad vnam fidem co-
 euntia & generis vice fungentia con-
 ceptus distinctos & diuersos abiiciūt,
 vt definitio fidei abolitis significatis
 & conceptibus singulorum, substitu-
 to autem vno ex confusione multorū
 conflato monstrosa euadat. Immotū
 ait discrimē est inter disparata & di-
 uersa. Sit sane vsu quodā docendi. Sic-
 ut tamen huiusmodi vsus non est cō-
 uertendus contra rei veritatem : ita
 eo non est torquendus vt per diuersi-
 tatem tollatur disparitas, aut hanc nō
 ferat illa secum. Accidentia prædi-
 cantur de suis subiectis in concreto,
 neq; tamen propterea desinunt acci-
 dentia per concretum enunciata. Sic
 disparata accidentia prædicantur de
 subiecto in concreto, nec tamen pro-
 pterea desinit eorū disparitas. Cum-
 que disparata desiniantur diuersa a
 Melanchtone & Beza, non agnoscūt
 illi sapientiam huius noui Magistri,

qui diuersorum notatione disparatorum rationem non distinctam saltem negat, sed & euanidam reddit. Caro & spiritus, sicut etiam sensus carnis atq; sensus spiritus sunt disparata apud Paulum, quæ concretive dicuntur vetus & nouus homo, estq; idem Paulus vetus & nouus homo, non quod disparatorum ratio sublata sit (Est enim vetus carne, nouus spiritu) sed quod eidem hominis indiuiduo insint illa disparata. Sic cū Moses philosophus Ægyptius & Theologus Ebreus appellatur, concretiuis vocibus disparatæ scientiæ vni & eidem attribuantur. Si dixeris illa diuersa esse propter adiunctionem, Bene. Negari tamen non potest illa per se tanta diuersitate separari inuicem in ipsa adiunctione, vt disparata vere sint sua natura, præsertim cum altera carnis, altera spiritus sapientia esse non cesset propter identitatem subiecti. Aut igitur negentur illi perpetuo colluctantes inimici Caro & Spiritus, & sic disparata, aut sapientia carnis & sapientia

entia spiritus perpetuo disparata ag-
noscantur. Non sunt disparata illa,
inquit Magister noster, sed vnius sub-
iecti, nempe Mosis, diuersa adiuncta.
Sane adiuncta sunt vnius subiecti, sed
vt nihilominus in se diuersa agnoscis,
itaq; quoq; diuersa sint disparata vt
concedas necesse est. Num dispa-
rata, vt albedo & scientia non sunt ad-
iuncta? aut num esse desinunt quod
sunt, si attribuantur subiecto? Aliud
quidem est, quod in vno subiecto cō-
currunt, aliud quod sint ipsa singula,
nihilominus talia etiam manent in i-
psa adiunctione ad vnum. Quantum
igitur peccatum commiserit qui oc-
cursurus Bezæ falso necessarium sta-
tuenti, vt si disparata vni subiecto at-
tribuantur, aliquid horum proprie,
aliquid figurate accipiatur, sic respō-
det. *Scientia carnis & spiritus sunt dispa-
rata; Tribuuntur autē vni subiecto, vt Mo-
si, qui est Philosophus AEgyptius & Theo-
logus Ebraeus*: nequaquam hic perpe-
ram responsum est. Etsi enim per ad-
iunctionem illa transeunt in diuersa,

disparata tamen dicuntur quæ adiungebantur, neq; talia esse cessant, nisi respectu quodam illud quoq; sustineant. Potius autem responsio meo palpabile factum est erratum Bezae, quod videlicet disparata per adiunctionem ad unum subiectum necessario alteri dispertiantur tropum. Hic itaq; error est ille in logica non ferendus, qui Goclenium coëgit ut tesseram frangeret, fidumq; amicū quem ipse prius ambierat, priuatim nunquam monitum publice traduceret. Etsi vero sua nequidem philosophando accurate didicit, aut tradidit ille, nunquam tamē mihi propterea litem extorqueret publicam, nisi liuidus homo præter existimationis meæ denigrationem cœlestis veritatis aucuparetur depravationem, eamq; proteruis scriptis disseminaret. Monebo autem

1. De termino disparatorum, quomodo huc accommodetur.

2. Rationem eius in hac propositione ostendam, Deus est homo.

3. Inde

3. Inde euincam inusitatum genus prædicationis, quod abiecto tropo & reductione ad vsitatum in sua singularitate stabiliendum fuerit.

V. *Quomodo terminus Disparatorum ad inusitatas prædicationes accommodetur.*

DE primo igitur sciant auditores quod sicut Logicus familiæ suæ leges accurate obseruans non patitur vt in fraudẽ earũ terminis suis aliena affuantur, ita Theologus maiestatem sui domini vt legem supremam venerans & adorans ferre non possit vt ad diminutionem eius peregrinæ speculationi locus sit. Etsi enim Deus quasi condescendens sermone de se captui nostro accommodato vsus est, monuit tamen subesse præminentiam infinitam. Vt igitur Dominus noster delectatur balbutie nostræ, qua reuerenter compellatur extra dolum detractionis: contra hanc autem grauissime loquitur Esa. 55. v. 89. Ita caritatis Christianæ est indulgere logi-

co, vt terminis suis, quantum possit, honoret Deum caueat modo ne terminorum suorum custodiam Dei obseruantia potiozem ducat eiusq; maiestati fraudi esse sinat vel cogat. Hac igitur circumspectione disparatum viurpatur, cum in hac oratione, *Deus est homo*, disparatum de disparato prædicari dicitur. Alias, vt Deus cum creatura nec in genere est, nec in specie, ita terminus ille tale quid ex logicis petitum Deo non obtrudet, verum inter bonos, quales sunt sobrii Logici & Theologi, bene agere oportet. Manifestum autem est disparatorum indicio digitum intendi ad ingentem illam diuersitatem & differentiam, quæ est inter creatorem & creaturam. Cumq; hæc distantia proportione careat, quoniam infinita, non contrahenda fuerit generum vel specierum cognatione proportionabili. Disparatorum igitur voce minus dicitur quam oportet. Quæ obseruatio eo conducit, ne ista immensa differentia per adiunctionem, quæ

quæ hic est admiranda vnio, putetur de disparatorum gradu ad minorem, diuerſorum videlicet, deiici. Multo autem magis ſepoſita disparatorum ratione aſcendendum eſt ad incomparabilem illam differentiam quam ſcholæ ultra disparatorum in diuerſa tranſeuntium naturam aſſurgendo prædicarunt. Thomas Aquinas in breuiloquio pauperum part. 4. cap. i. de hac re ita loquitur: *Quid potentius quam coniungere extrema ſumme & infinite diſtantiã in vnã perſonã?* Albertus Magnus ſuper tertium ſententiarum diſtinct. i. *Increatum creato a ſe in infinitum diſtanti vnitur.* Dionyſius, quem Ecſtaticum vocarunt, in exordio 3. libri Sententiarum: *Inſiniti & finiti nulla proportio cum in infinitum diſtent ad inuicem.* Hoc ipſum igitur voluit Melancthon, cum disparatorum mentionem in hac doctrina faceret, & regulæ tanquã exceptionem ſubiiceret. Addant adoleſcentes fundamenta biblica. Pſalmo 8. Dauid admirandi Immanuelis promiſſionem

meditans & collatione Dei atq; hominis æstimans, in hunc sermonem prorumpit. *Iehoua quid est homo quod memor es eius, & filius hominis, quod uisitas eum?* Zacharias pater Baptistæ Luc. i. v. 78. tribuit hoc *visceribus misericordie Dei, quod inuisit nos germen ex alto*, quasi dicat, tantam esse diuinæ & humanæ naturæ distantiam, ut nulli cognationi naturali, sed misericordie Dei intimæ & summe earum unio debeat, huiusq; infiniti & indebiti interuentu admiratio accendatur magis, quàm humanæ menti apta conciliatio præbeatur. Sic Matth. 16. vers. 17. cum Petrus dixisset filium hominis esse filium Dei uiui, Christus respondet *carnem & sanguinem hoc ipsi non reuelasse*; ut uidelicet ostenderet, quam remotum hoc esset ab omni sapientia & intelligentia carnis. Hæc igitur obseruanda veniunt, cum disparatum de disparato prædicari dicimus hac oratione, **DEVS EST HOMO**. Hinc uero censeatur iniuria seu blasphemia potius orthodoxi consensus, qui

qui tale iudicium vesaniæ tribuit, vt scilicet sibi applicarent autores illius, quod Paulus scripsit, Christum esse Græcis stulticiam I. Cor. I. vers. 23.

VI. *Quomodo termini Disparatorum ad prædicationem hanc; Deus est Homo, accommodentur.*

Secundo, quod ratio illa disparatorum seu potius infinite differentium in hac oratione concernenda & religiose custodienda sit, porro probandum est. Initio autem repetantur pondera testimoniorum sacrorum, quæ si ex oratione hac excludenda essent, *Deus est homo*, perperam essent a Domino & sanctis eius circa illam agitata. Deinde cum certum sit duarum naturarum, diuinæ videlicet & humanæ, unionem hypostaticam hoc sermone exprimi, *Deus est homo*, nihil eorum ex oratione hac erit expungendum. Tertio consensus Catholicæ Ecclesiæ in symbolis Nizeno, Athanasiano, & Chalcedonensi ex verbo Dei & symbolo Apostolico seu fonte prono alueo

manantibus, deniq; Scholarum inter
 spinas exorta lilia colligantur. Tho-
 mas qui offendiculum posuit aduer-
 sariis nostris in reductione orationis
 sacrae non quidem integræ sed discer-
 ptæ, itaq; per vim & violationem ad
 regularitatem profanæ, hæc pro no-
 bis posuit, Itaq; repugnantia sibi con-
 fessus est, si ad propositionem solide
 æstimandã simili via accedere velit:
*Vnio quippe, inquit, inter vnibilia designat
 diuersitatem ac distinctionem, eamq; præ-
 supponi oportet ad idiomatũ communicati-
 onem. Idem de hac propositione, Deus
 est homo: Deus ait, importat suppositũ di-
 uina natura, & predicatũ non inest subie-
 cto ratione formæ imputatæ per subiectum.*
 Richardus, quem scholæ solidũ Do-
 ctorem appellarunt: *In propositione De-
 us est homo, hoc ipsum quod importatur per
 subiecti suppositũ, importatur per predica-
 tũ, sed alio atq; alio modo. Per predicatũ im-
 portatur diuinũ suppositum, non cum illius
 determinationis exclusionem. Alexander
 D. irrefragabilis: Deus est homo ratione
 hypostatica vnionis vtriusq; nature. Hinc
 appa-*

apparet verè dictum à Gabriele Biel:
*Nullum concretum propriè dictum est pu-
 rè & simpliciter absolutum. Si sunt verè
 concreta, concernunt duo, scilicet materiale
 significatum & formale. Et per consequens
 connectatiui sunt termini nō absoluti, quia
 connectatiuū est cum alio, id est, terminus,
 qui cum significato vno subtractiue signifi-
 cat aliud formaliter. Item: Concreta sub-
 stantie in veritate habent duplex signifi-
 catum. Subtractiue enim significant sup-
 positum, & formaliter naturam substanti-
 alem, à quo denominatur suppositum ali-
 qua specie substantiali. Hæc ille. Propter-
 ea autem ista a me allegantur, ne in
 concretis tantum persona accipiatur
 eius naturis, in quibus disparati ratio,
 id est, infinita distantia seu differen-
 tia perpetuo manet, & spectatur etiā
 in vnione, quemadmodum confessio
 Chalcedonensis inquit: *Confitemur v-
 num & eūdem IESVM CHRISTVM
 in duabus naturis inconfuse, inconvertibi-
 liter, indiuisse, & inseparabiliter, haud qua-
 quam differentia naturarum propter vni-
 onem sublata, sed magis vtriusq; natura in**

unam hypostasim concurrentis proprietate seruata. Hinc ad quæstionem: Num disparatū de disparato prædicetur, cū dicitur: DEVS est homo? Etsi autem affirmatio respectu naturarum explicetur, ne diuidatur persona cum Nestorio, nequaquam tamen ratione cōcreti, in quo inest personæ ad naturas ratio, deflectenda est sententia, cum concretum vere dictum nō sit terminus absolutus tantum hypostasim significans, sed connotatiuus, quæ connotatio simul continet illā vnius personæ diuersam rationem ad diuersas naturas; vnde simplicis & compositæ appellationem apud patres & scholasticos obtinuit, vt sic ipsum concretū diuersitatem naturarum non exuat, sed mirifice implicet & in se seruet. Gabriel Biel diserte scribit: *Apud Philosophum Deus & homo sunt termini disparati, quia diceret illam impossibilem, Deus est homo, sicut istam, Homo est Asinus.* Hoc promptum philosophicum iudicium spectauit Do. Melancthon, cum disparatum de disparato prædicari diceret.

ceret. Nec potuit vllus vel sagacissimus philosophorū suæ rationi & speculationibus, siue physicis, siue Metaphysicis, siue logicis tantum deditus, inuenire causam amoliendi impossibilitatem; qua in re etiam hodie pro suo acumine & ambitione experiantur Goclenius, Piscator, & quicumque sibi videntur cum philosophis excellentissimis sapere, sciantq; nisi ex meris philosophicis rationibus possibilitas inueniatur, qua *Deus sit homo*, non posse statui, quod philosophice cessarit disparatorum ratio. Quod si etiam tollendum esset hoc offendiculum, vt philosophice possibile fieret, *Deum esse hominem*, quomodo tueremur Catholicæ Ecclesiæ Symbola, quæ mysterium ignotum a seculis, & ne quidē principibus huius mundi reuelatum, venerantur, quæq; non patiuntur vel ad essentialem, vel ad accidentalem modum reducere possibilitatem? Sic autem Gabriel porro: *Sed licet in hac errarint philosophi, quod dicebant hanc esse impossibilem, Deus est homo, tamen*



accipiendo terminos disparatos pro terminis qui naturaliter siue secundum potentiã natura non possunt de se inuicem prædicari, nec simul nec successiue. Sic Deus & homo etiam apud Catholicos sunt disparata, & ita prædicatio erit disparata, Deus est homo, et sic nec essentialis nec accidentalis, quamuis vera. Hæc ille lib. 3. Sentent. distinct. 7. ubi sedes est huius quæstionis, ideoq; volens deliberare cū Scholis, commentarios in hanc distinctionem consulat.

Quod autem orthodoxus consensus scribit: *Inusitatam prædicationem Dn. Melancton primus omnium* (turpis hoc ignorantia argumentum) *docendi causa posuit, fecitq; hoc respectu hypostaticæ unionis, qua sit inusitatissima & vere admiranda;* quod tamen ad ipsum prædicationis modum non recte refertur, Vnde Goclenius propositionem physice inusitatam logice vsitatam facit, hoc ita vt applicatur, concedi in Ecclesia non potest. Etsi enim logica sermonis censura a natura rei distincta est, nunquam tamen debet dissonare

nare a re, cumq; alium fontem nō habeat logica quam naturæ ordinem rationi æstimabilem, cui etiam se suis legibus conformavit, fieri non potest, vt secundum istam intentionem logicam aliquid obseruato ordine naturæ recte censeatur, quod physice portentosum fuerit, ordiniq; naturæ repugnet. Quicquid autem logici, qui suo iudicio oppositorum non sunt priuādi, statuunt vel certent, pijs mentibus religio est decretis eorum fidem suam ita mancipare, vt logico arbitrio a rebus semoto stent cadātve controuersia a parte orthodoxa nō tam pro verbis quam pro rebus susceptæ. Quisquis ille fuerit, qui orthodoxum consensum præter & contra autoris mentem, vt infra indicabitur, adauxerit, quacunque etiam acuminis ac scientiæ laude Goclenius, Piscator & alij tumeant, vel etiam alicubi vere gaudeāt, quam nulli inuidemus, quin recte vsurpanti gratulemur, hoc tamen certū est, de quo tertio loco me acturum dixi.

VII. *Quod inusitatae praedicationes ad
usitatum praedicationis genus non redu-
cenda, sed in sua singularitate reti-
nenda sint, ostenditur è sa-
cris literis.*

S V B fide autem muneris mei, de
qua mihi respondendum erit co-
ram tribunal D E I, adiuro auditores
meos per CHR Istum, vt expendant,
quanta non solum in omni genere di-
sciplinarum, sed etiam & quidem ma-
xime in Theologia damna sint metu-
enda, si logica νοήματα non solum a re-
bus distinguantur, quod illis in mate-
ria appropriata per me nunquam non
licuit, sed etiam separentur, & quam-
vis pugnantibus adsimilentur, nec nõ
defendantur contra doctrinam fidei,
huiusque rebus ad abolitionem ve-
ritatis earum dominantur. Cum di-
cimus sanctam antiquitatem a Spiri-
tu sancto accepisse hunc morẽ, vt ser-
mones spiritus spiritualibus rebus ac-
commodet & distinguat a διδακτοῖσ ἀν-
δρωπίνης σοφίας λόγοισ. I. Cor. 2. idq; pro-
ferimus

ferimus vt logicus cedat potius quam
 sibi sapientiam spiritus subijciat, hic
 illi logica sua priuilegia prætexunt,
 quibus sibi tanquam dominis rerum
 (cum ad seruiendum, & quidem in re-
 bus determinatis conducti sint) licen-
 tiam sumunt sermonem sacrum a re-
 bus sic auellendi, vt cum illæ orationi
 illigatæ sint, & per huius characterem
 suam naturam ostendant singularem
 & incomparabilē, ad vulgares tamen
 negatiue oppositas cogantur. Contra
 huiusmodi tyrannidem Logicæ, non
 in Theologos solum furentis, sed etiã
 ori supremi Domini frena inijcientis
 muniant se timentes Dominum. Pri-
 mum dictis sacræ scripturæ: Deinde
 exemplis sanctorum Patrum: Tertio
 modestia scholarum, quas qui hodie
 eruditione & acumine superet, viuit
 nemo: Quarto iudicijs præstâtissimo-
 rum nostri seculi Doctorũ. Singulorũ
 confirmationes subinde in prælectio-
 nibus procurrunnt, vt hic proluxa nõ sit
 opus accumulatione. Grauißima est
 sententia Domini Deut. 4. v. 2. *Non*

addetis ad verbum quod vobis loquor nec auferetis ex eo. Minuit autem & auget qui logicæ prætextu quod inest, auferit, infert autem quod non inest. Loquor enim non de affectione logica distincta a re, eiq; consentanea, sed de tali, quæ dissentanea est, & negatiue opposita reb. id est veritati. Et si quoq; Dn. ibi spectat mores, quos ad verbū cōponere iubet, vt tamē hic cōformes sint voluntati diuinæ, sensui sermones vt respondeāt oportet, ideoq; & Theoriæ & Praxi aduersatur logica, quam reprehendimus. Atque huc pertinet Emphasis diuinæ admonitionis: *quicquid ego precipio vobis, custodietis vt faciat.* Deut. 12. Et in Ecclesia semper auribus sermonem Domini haurientibus insonet vox hæc diuina Esa. 8. v. 20. *Ad legem & ad testimoniū: Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, nō erit eis matutina lux.* Quid autem hinc differunt noua nouorum logicorum decreta? Non certe dicunt iuxta verbum Dei, qui mysteria negligunt & pro illis vulgaria, pro inusitatis vsitata subiiciunt, sermo-

fermonis affectionem logicam præcedentes, quæ scilicet cedere ne scia, profana, non sacra ferat. Apostolus igitur I. Tim. I. v. 67. recte *μαλακολογία* appellat, si legis doctor, hoc est, diuini sermonis interpres misso legis sensu garrat, non intelligens *quid loquatur aut de quibus asseneret*. En loquitur diserte de eo, quod coniunctioni prædicati cum subiecto subest! quod si iuxta legis intelligentiam non seruat, vaniloquus deprehenditur. Si dixerint, hæc Theologis non Logicis præscribi, regerimus inde consequi, quod male Theologis Logici hic obganniant, & suis considerationibus pio sensui non solum sese non accommodent, sed etiam repugnent. Non erat talis sapiens ille, qui Prouerb 30. v. 2. 3. & 5. clarus euasit, & a Spiritu sancto nobis cõmendatur: *Sane, inquit, stultior sum quolibet, nec est intelligentia hominis mihi, neq; didici sapientiam, nec scientiam sanctorũ noui; omnis sermo Dei purgatus clypeus est sperantibus in se*. Hic discimus, quod humana intelligentia adeo non de-

beat sibi conformare sacra mysteria, ut etiam suam ibi stultitiam & ignorantiam profitens, se & cultorem suum honoret, & sic purgatum sermonem Dei relinquat, qui alias stulti affectione diluatur, obscuretur, conspurcetur, & quod valde dolendum est, sperantibus clypeum subducatur. Adijcitur etiam comminatio grauissima inculcanda sciolis, qui, ubi stulti esse debebant, se sapientes iactitant: *Ne, inquit, v. 6. addas verbis Dei, ne forte increpet te, & mendax reprehendaris.* Vtiq; mendacium est sermo cum re non consonans, cuius patrem Christus fecit Diabolum, Ioh. 8. v. 44. Ideoq; Matth. 5. v. 37. sic docet: *Sermo vester sit Est Est, Non Non, quod superest seu abundat, a malo est, seu a Diabolo.* Noui autem Logici non tantum sermonem a re distinguunt, sed etiam diuellunt, imo pro *Est Non* substituunt, cum inusitatum in vsitatum transformant, & quod rationi nunquam probari poterit, reductione Logica, tanquam haec spiritui & rationi simul aduersetur, conciliare promittunt.

tunt. Vt autem in omni sermone res, & in congruentia orationis cum re veritas attendenda est, cum alias nulla sit sermonis veritas, nec vllum iudicium rationale dari possit, quod inde abducatur, multo minus quod *Est & Non* commisceat, vt veritas supprimatur & falsitas regnet: ita cum de λόγος aeterno incarnato sermo censendus est DEO probatus, in primis rei cum oratione consonantia obseruanda, & quod Spiritus sanctus de hoc vel illo affirmavit vel negavit, sancte custodiendum est nulla Logica obstante, cum hoc studio Ecclesiae etiam circa singula verba religiose Deus praevidens delectaretur, dixit: *Vocabitur puer Immanuel,* Esaiæ 7. v. 14. admirabilis, Esa. 9. v. 6. Quod Paulus explicans, res & verba coniunctim censet Ephes. 1. & Philip. 2. *Et propter rem sublimem nomen extollis supra omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sed etiam in futuro seculo.* Verum ad praedicationis formam, cuius modus admirandae rei modum complectitur, redeamus. *Filius tuus,* inquit,

ad Mariam θεοτόκον angelus Gabriel,
 Lucae i. v. 32. *erit magnus, & filius altissi-
 mi vocabitur.* Hic expresse *magnificen-
 tie reali* accommodatur sermo, & hic
 illam resonare dicitur, qua de re lo-
 quens Dauid 2. Sam. 7. v. 19. exclamat:
Ista est lex hominis qui sit Deus Iehouah. &
 porro inquit v. 21. *Propter verbum tuum
 fecisti omnem magnitudinē hanc.* Cumq;
 oraret v. 25. 26. *Nunc igitur Iehouah De-
 us verbum, quod locutus es seruo tuo, & de
 domo eius, suscita in seculum, & fac secun-
 dum quod locutus es, & magnificetur no-
 men tuum vsq; in seculum.* Quis piorum
 hic non intelligit rei & sermonis per-
 petuam necessitudinem & exactissi-
 mam conuenientiam a Dauide spe-
 ctari, & hinc celebrari Deum, nec nō
 exultare piorum pectora? cum etiam
 Deus promissa complet propter ver-
 bum magnitudo facta creditur, Da-
 uidq; Deum suscitare verbum suum
 quod locutus est, & cum facit secun-
 dum quod locutus est, magnificare
 nomen suum testatur. Rursus hanc
 mentem suam paucis comprehensu-
 rus,

rus, inq: v. 28 *Tu es Deus, & verba tua erūt
 veritas*, quasi diceret: Quia tu DEVS
 locutus es, maiestas tua postulat vt res
 verbis tuis subsint, nullatenus autem
 subtrahantur, quin veritati tuæ dero-
 getur & gloriæ. Horum Maria recor-
 dans ex commonitione angeli dicen-
 tis: *Non est impossibile apud Deum omne
 verbum*, inquit: *Ecce ego ancilla Domini,
 fiat mihi secundum verbum tuum*. Quis
 vero hæc negat inquent aduersarij?
 An non phyfice agnoscimus rem ma-
 xime admirabilem, etsi logice aliquid
 vsitatum concipimus. Atq; sic putant
 isti suum nouum artificium logicum
 veritate incolumi stare posse. Verum
 vtvt alicubi illud obtineant, hic tamẽ
 hærent, & veritati ex diametro resi-
 stunt, cum modum prædicationis in
 hac propositione, *Filius Maria est filius
 altissimi*, vsitatum faciūt. Reuera enim
 idem dicunt, ac si quis recta conten-
 deret non esse præter naturalem
 modum vnionis hypostaticæ
 duarum naturarum in
 CHRISTO.

VIII. *Quod patres & Scholastici
idem senserint.*

QVandoquidem autem, quæ Pa-
 tres de singulari & admirando
 modo istius vnionis magnifice prædi-
 cāt, haud recta negare audent, non est
 nunc opus hic gradum sistere, sed ad
 scholarum censuram conuersi, pro-
 babimus quod illarum Doctores lau-
 datissimi, inter vehementes attritus
 excellentissimorum ingeniorum su-
 orum hoc ipsum confessi sint, quod
 scilicet propter modum vnionis in-
 suetum insueta sit prædicatio, cū di-
 citur, *Deus est homo*, adeo vt iudicio Lo-
 gico omnes vsitati modi prædicatio-
 num in genere & in specie sint de ea
 negandi, & plane singularis philoso-
 phis ignotus ponendus, nec quicquā
 de reductione ad regularem referen-
 dum. Hoc probato firmum erit quod
 statuimus, totius nimirum Caluinia-
 ni consensus labores super hac pro-
 positione, *Deus est homo*, ad regulares
 reuocanda, in ipso neruo erroris vere
 redar-

redargui, quoties vnionis personalis in Christo mysterium supra vniuersum ordinē naturæ euexit orthodoxæ antiquitas Ecclesiæ.

Bonaventura qui ante annos 300. claruit, & in scholis *doctor deuotus* appellatur, (notetur hic titulus qui inde ipsi obuenit, quod sacra minus pate- retur philosophicis speculationibus profanari, vnde & Luthero carus fu- it) Hic igitur libro 3. Sententiarum Distinct. 7. post examen aliarum opi- nionum inclinantium ad modū præ- dicandi vsitatum, siue in obliquo siue in recto accipiatur prædicatio, sic sta- tuit: *Deus est homo, est singularis modus prædicandi. Non enim est prædicatio illa per Essentiã, nec per causam, nec per inherẽ- tiam: Non per Essentiã, quia secundum hoc Deus & homo essent eiusdem essentiã, quod impossibile est; Nec per inherẽtiam, cum in Deum accidens cadere nequeat; nec per causam, quia simili ratione Deus esset lapis, cum causa sit lapidis sicut & hominis: Sed est prædicatio per vnionem. Ideo enim prædicatur homo de Deo, quia unitur ei in*

unitate personæ. Cumq; unio ista sit singularis, non mirum, quod singularem exigat modum prædicandi, propter quod nec ad consuetos modos prædicandi reducitur. Hæc ille devotus. Ne vero insufficiens specierum vtitatarum enumeratio æstimaretur, noluit dissimulare fuisse suo tempore quosdam, qui dixerint: hæc prædicatio, Deus est homo, est in recto, nec tamen formalis, neq; causalis neq; accidentalis, sed per identitatem, ut sit sensus, Deus est homo, id est, Deus est ille qui est homo. Ad hoc respondens ait: Sed neq; hoc sufficit, quoniam qualibet implicatio claudit in se prædicationem. Idcirco cum dicitur, Deus est ille qui est homo, adhuc convenit querere de implicatione quæ est a parte prædicati, sicq; oportebit in infinitum ire implicando, aut oportebit ad aliû modum prædicandi recurrere. Sententia simplex dictorum est: implicatione non explicari quod quærebatur, & male negligi in prædicato quod observetur in subiecto, nec non ita suspendi auditorem potius, & relinqui in quæstione impedita, ut hæreat, quam ut inde

vt inde expediatur, cum ne quidem ipse doctor se euoluere valeat, nisi ab identica prædicatione ad aliam dilabatur. Promptius autem agnoscitur identicæ incommoditas, si attendatur quod eius intentione suppositum seu persona respiciatur neglecta determinatione ad naturas: seu quod termini, qui sunt connotatiui absolute censeantur de supposito, exclusa connotatione. Quod vero hoc aliud est, quam solidam propositionem nec intueri nec tenere, sed ad partem collineando multum in ea negligere? obseruari hoc scandalum perpetuo potest, cum vel ad personam tantum, vel ad naturas duntaxat conuertuntur labores illorum, qui iuxta materiam naturalem verificare istam orationem conantur, itaq; solido complexo per naturam satisfaciant. Sic Thomas modo essentialiter, modo accidentaliter illam prædicationem censens, etsi ad naturas respiciat, nil tamen nisi vagum iudicium & instabile prodit, præsertim cum in singulis singulari-

G

ter vacillet: *Prædicatio, inquit, ista, Deus est homo, est per essentiam, non quia Deitas sit humanitas, sed quia suppositum diuinæ naturæ essentialiter est suppositum humanæ naturæ. Et sic verificatur propositio nõ ratione naturæ, sed suppositi naturæ humanæ in materia non remota, sed naturali: Negat tamen esse simile in hoc & in aliis. Rursus inquit: ista non est per accidens, DEVS est homo, sed habet quid simile cum propositione per accidens, in quantum prædicatum non inest subiecto ratione formæ importatæ per subiectum. In his non dissimulat Thomas utrobique similitudinem secundum quid accipi, quam diluat dissimilitudo, quæ cum semper maior sit, fortior erit ad destruendum, quam illa ad austruendum. Quod si etiam naturæ ad personam comparantur, diuersitas non negligenda occurrit, quam Bonaventura sic arguit: Attamen prædicatio illa quodammodo potest dici per se, sic videlicet, comparando diuinam naturam ad personam, in qua est unio, & de qua per se prædicatur. Est quæ quodammodo per accidens, comparando humanam*

humanam naturam ad personam cui unitur per gratiam, proprie autem neutro illorum homo prædicatur de Deo. Diligenter hic expendatur, quod aliter diuina, aliter humana natura respiciat istam personam, in qua vnica subsistunt ambæ. Deinde quod hinc ad modos dicendi quasi per se & per accidens deflectatur, & perspicue addatur, quod ista aliqualis reductio & conformatio ad modos vsitatos proprie loquendo non constet, quoniam nec per se nec per accidens homo dicatur de DEO proprie. Etsi igitur quodammodo convenire videtur vtrumq; quia tamen huiusmodi ex parte & secundum quid facta, itaq; valde levis concessio, si ad modos prædicandi per se & per accidens iuxta proprium usum Logicum censeatur, negatur tueri proprietatem Logicam: Idcirco nihil contra sententiam Bonaventuræ receptum est, quia concessum seipsum cõficiat illuc collatum, confectum autem & destructum illud magis adserat. Ex Thomæ igitur imperfectiore censura & huius etiam

in ea parte qua videbatur idonea inconuenientia, necessitas utiq; emergit ineuitabilis amplectēdi Bonauenturæ sententiam, de singulari & inusitato modo prædicandi post remotiōnem omnium vsitatorum statuendi: id quod etiam fecerunt multi scholastici, ut *Vdalricus de Argentina* qui tempore concertationis illius vixit, & partium momentis pensitatis cum deuoto Doctore fecit, quos secuti sunt non pauci posteriores. *Petrus Tarantasius* medium prædicādi modum inter essentialē & accidentalem constituit, quod in recessu non est aliud, quam vsitatum nullum ei conformem esse. *Stephanus Brulifer*: *DEVS* est homo non prædicatione formali siue essentiali, nō causali, neq; accidentali, non identica siue implicita, sed singulari modo prædicandi ratione unionis singularis. *Vilhelmus Vorilon*: Deus est homo, vera est propositio, vlla tamen prædicatione a Philosophis inuenta. *Vilhelmus Gorris*: Deus est homo, est vera propositio prædicationis modo ab omni alio insueto. Atq; hæc testimonia collecta extant

extant in thesauro Theologorū edito anno 1506. itaq; longe antequam doceret Melācth. *Dionysius Carthusianus* etsi diuerfas opiniones tanquam conciliabiles commemoret, videtur tamen magis fauere *Bonauentura*, cui Thomam cupit conciliatum. *Scotum* autem magis ad inuolutionem & obscurationem, quam ad elucitationem Catholicæ & saluberrimæ veritatis laborasse conqueritur. Eius tamē sententia aphoristice sic collecta est in dicto thesauro. *Deus est homo, est vera ut credita, non ut primo vera, non ut vera naturaliter. Item, Deus est homo non suppositaliter, non identice in primo modo dicendi per se, non predicatione per accidens proprie, non essentialiter proprie, bene substācialiter.* Et si vero quædam huius ambigua sunt, & Sophisticen redolēt, quia tamen ille Bonauenturam non ausus fuit in fundamento carpere, ut Thomam, illius vero sententiam maxima ex parte probat, repetendo negationes ipsius, proinde ambigua contra manifesta non poterunt valere,

Itaq; *Scotus* vt non fuerit pro Thomi-
 stis, sic minus deuoto Doctore noce-
 bit. Hoc autem præcipue ex allegatis
 Magistris liquet, modum prædicandi
 Logicum consuetum diserte negatū
 esse propter modum vnionis perso-
 nalis. Ergo quisquis ad vsitatos mo-
 dos Logicos hic recurrit, is nolens vo-
 lens sua propria intentione oppugnat
 mysterium vnionis personalis, recte q;
 a Catholica Ecclesia refutari dicitur.
 Vtile est & hoc considerari, quod *Al-*
bertus Magnus scribit: *Vnum, inquit,*
quo Christus est vnus, ad nullam natu-
ralium reducitur vnitatem, nec ad v-
num per se, nec ad vnum per accidens.
 Nec mirum si philosophi de hac vni-
 tate nihil cognouerunt, quæ non nisi
 per gratiam facta est, non per naturā.
 Etsi igitur ad vnitatem personæ in
 duabus naturis subsistentis collinea-
 tur, remota tamen est hæc vnitas a na-
 turali vt regularitas in hoc ipso etiam
 momento euanescat, quando modi
 Logici considerationis per se & per
 accidens adsumuntur. Nihil enim
 horum

horum exipit Albertus. Quæ vero de persona simplici & composita adserta sunt in veteri Ecclesia, & postea disputata a scholasticis, nunc prætereo, quamuis ad exercendum nostros aduersarios magnam vim contineant. Notentur autem ea, quæ *D. Chemniti*us ex patribus & conciliis de hac doctrina sparsim citauit, & postea de scholis offensis monuit libro de duabus Naturis in Christo pag: 183. Vt autem locus hic rectius intelligatur, expendatur duo scholastica testimonia, quorum prius communis offensionis scandala refert, posterius communem scholarum nauseam temperat. *Scotus* ad distinct. 6. libri 3. Magistri: *Quod ista persona dicitur esse composita, communiter non tenetur proprie loquendo de compositione ex actu & potentia, aut ex materia aut forma, vel ex duabus potentialibus rebus, qualia sunt ista, quæ apud philosophum dicuntur Elementata integritate naturam totalem.* Thomas autem in summa inquit: *Persona Christi composita non est, siue hypostasis, si in se con-*

sideretur, secus secundum rationem hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliena natura. Huc referantur quæ habet *Chemnitius* de compositione in explicabili ex *Magistro*, & de compositione ὑπὲρ τῆν σύνθεσιν ex *Theodoreto*, & moneremur hac doctrina de iis quæ neglexerunt nostri *Aristarchi*, quæq; observata non ad speculationes adfectantes naturæ ordinem, a quo nequidem *Logicæ* notiones plane immunes esse possint, si veritati studeant, sed ad præminentiam ab omni sapientia humana remotissimam, reducenda sunt, ideoq; reductiones *Goclenii*, *Piscatoris* & similium omni ex parte ineptas demonstrant. Memorabile autē est in tot & tantis conflictibus scholasticos non fuisse ausos recurrere ad tropicum modum prædicandi, ut mediante tropo aditus aliquis esset reductionis ad regularitatem. Non autē dubito quin *Athanasii* pietas & autoritas eos cohibuerit, qui *Dialogo* 5. de *Trinitate* graviter sic docuit: *Christum nequaquã dixerimus esse homi-*

nem ὁμώνυμος & equivoce, ne imaginarius & communi nomine tenus homo censeatur, ἵνα μὴ κατὰ φανησίαν νομιθῆ ἄνθρωπος μόνον τὸ ὄνομα κοινὸν ἔχων. Accesserunt hæreticorum, *Arrianorum, Marcionitarum, Manicheorum, Euthychianorum,* & similium errores, qui vel in vocabulo *Deus*, vel in voce *Homo* constituerunt homonymiam, eamq; tropo explicabilem reddere conati sunt. Extant etiam Scholarum exempla, quibus *Athanasii* vestigia legisse ostenduntur, quoniam in hisce orationibus, *Deus est homo, & homo est Deus*, tam Deum quam hominem univoce appellari agnouerunt. Ne vero hinc colligeretur regularis prædicandi modus, *Scotus* distinguit inter prædicatum uniuocum & univoce predicari. Verum & hæc notasse sufficiat.

Quod porro contra mentem auctoris in orthodoxum consensum inserta sunt dissentanea a scholis, id probo testimonio *Christiani Hessiandri*, qui in refutatione dogmatis de fictitia carnis Christi omnipresentia pag. 64.

sic scripsit : *Scholastici recte dicunt non esse usitatum & formalem hunc predicandi modum per Essentiam, inherentiam, vel causam, sed singularem & inusitatum qui ad vulgares predicandi modos non possit reduci vel accommodari.* Hæc ille, adscribens in margine nominatim *Bonauenturam*, cuius sententia supra recitata est, nec fert contrarias. Tacendum tamen non est *Vdalricum*, quem supra *Bonauenturæ* associaui, quadam distinctione siue demulcere siue ludere dissentientes : *Modus*, inquit, *predicandi* habet duo in se, unum est coherencia *predicati* cum *subiecto*, sicq; in illis locutionibus, *Deus est homo, & homo est Deus*, est *predicatio* per *Essentiam* & per se. *Secundum* est ratio coherentiæ *predicati* cum *subiecto*, & sic non seruatur hic aliquis consuetus *modus predicandi*, nec ratio *predicati*. Forte ridere voluit quosdam, qui ad usitatos *modos predicandi* hic deflectentes coherentiam sine modo considerent, & tamen de modo affirmant. Quicquid autem sit, nisi ratio coherentiæ attendatur, hæc nuda
 mo-

modum prædicandi, de quo quæritur nequaquam largietur. Hæc igitur dicta sint de scholis eruditissimis, in quibus pietatis reliquiæ suaserunt doctissimis, ut a logica affectione & habitudine prædicati ad subiectum visitata recederent, nolentes aduersari consensui Catholicæ Ecclesiæ de modo vnionis personalis in Christo singulari.

IX. *Quod Propositio hæc: Deus est Homo per synecdochen, sobrie reduci non possit.*

AD extremum, inquit Goclenius: *Si hæc propositiones. Deus est homo, Deus est mortuus; quas Melanthonem Inusitatas in Dialecticis suis vocare diximus, sobrie reduci possunt ad sinecdochicas, ut possunt, salua manente veritate Dei, & veritate hominis, idcirco congruent sane cum Regularibus in interpretatione. Accipimus autem conditionem, ideoque videndum, quomodo compleatur. SCIO LVTHERVVM etiam cuiusdam synecdoches meminisse in præ-*

dicationibus, pertinentibus ad communicationem idiomatum, sed eandem grauer negasse in propositionibus hisce: Deus est homo, & homo est Deus. Hæc differentia non erat negligenda, cum etiam Beza monuerit, nullam hic esse idiomatū κοινωμίαν, cum dico, Deus est homo, cum nec Dei nec hominis nomen sit ἰδιώματος, sed ὁσίας σκυαυλικόν. *Prædicatio hæc, Deus est homo, inquit Goclenius, figurata est, quatenus intelligitur, partem essentialem dici de toto in concreto per synecdochen: Item Deus est homo, eatenus Regularis dicitur, quatenus intelligitur de persona Christi prædicari humana natura, quæ illi personæ est substantialis, ut pars constituens.* Et si autem conditionē propter morositatem & confidentiam aduersarii recepimus, ne tamen ut exemplum per se laudabile noceat, monere oportet discentes, ut imitationem fugiant. Nulla enim est necessitas quærendi hoc loco tropum, imo absterremur impossibilitate, cum quicumq; detur, is mysterio ineffabili conuenire & satisfactis-

tisfacere nequaquam possit. Addatur iudicium Lutheri: *Quod si, inquit in libro de seruo arbitrio, cuius liceat pro sua libidine sequelas & tropos in scripturis fingere, quid erit scriptura tota, nisi arundo ventis agitata, aut vertumnus aliquis, tum vere nihil certi neque statuetur, neque probabitur in ullo articulo fidei, quod non queat aliquo tropo cauillari, vitari potius sicut presentissimum venenum, debet omnis tropus, quem non coget ipsamet Scriptura. Allegat etiam suam experientiam sic scribens: Ego id observavi, omnes hereses & errores in scripturis non venisse ex simplicitate verborum, ut iactatur fere toto orbe, sed ex neglecta simplicitate verborum, & ex affectatis proprio cerebro tropis, aut sequelis.*

Ne vero admonitio hæc alienior videatur hoc loco, negligendum non est, quod ipse Lutherus nostræ materiæ eam accommodat his verbis: *Quid accidit Arianis in tropo isto, quo fecerunt Christum Deum nuncupatum? Sed ad explicationem Goclenij. Quod totius & partis rationem attinet, hoc*

non toleratur iuxta naturalem aliquē
 & rationi humanæ aptatum & con-
 suctum modum, Commendat igitur
 Dn. Chemnitius circumspectionem
 Magistri lib. 3. distinct. 7. docentis.
*quod inexplicabilis sit illa compositio, quæ
 non sit partium.* Et Theodoretus dial. 3.
 citat hanc sententiam, ὑπὲρ τὴν σύνθεσιν
 καὶ ὑπὲρ τὴν διάλυσιν. Etsi igitur alicui,
 pingui Minerua docenti, istis termi-
 nis vti permittitur, nequaquam tamē
 hoc conceditur, vt sententia præbeat
 reductionem ad regularitatem. Pro-
 positum autē Goclenij est ostendere
 quod oratio hæc: *DEVS est homo*, con-
 gruat cum regularibus in explicatio-
 ne, id quod fides piorum non probat,
 sed prohibet. *Deinde* Synecdoche, quæ
 est tropus dictionis, non spectat partis
 de toto prædicationem: Quod vt in-
 telligatur valde perniciosū, infra ex-
 plicabitur, cum agemus de ἀλλοιώσει.
Tertio indulgens artificio Logico &
 Rherorico tam in subiecto quam præ-
 dicato Synecdochen constituet, de
 cuius studij perniciofa vanitate recte
 Pisca-

VSVS NOTION. LOGIC. III

Piscatorem erudit Heizo Buscherus.
Quarto termini connotatiui absolute accipiuntur, & quidem diuersimode, vt videlicet in subiecto persona, in prædicato autem natura denotetur, quasi nimirum natura humana prædicetur de persona. Et si etiam hæc tanquam totum educitur, reuera tamē vt a natura distincte cōsideratur, & sicut *ὑπόστασις* seu p̄sona in se est, accipitur, itaq; vnio duarum naturarum in persona & huius ratio subsistendi in vtraq; natura non plene attenditur, sed prædicatio mutilata pro solida venditur. Labor autem cogendi integram mentē orationis in Synecdochen arguet tandem impossibilitatem reductionis ad regularitatem. *Quinto*, Si humana natura vt pars essentialis prædicatur de persona in concreto per Synecdochē, tum id quod concreti proprium est, vt videlicet personam denotet, nō nisi verbaliter in prædicato relinquetur, re ipsa autem per tropum ex ratione prædicati reijcietur. Atqui non solum forma loquēdi, sed etiam rei ipsi-

us, cui illa conformata fuit religio, cōcreti vsum postulavit, vt & personæ & naturæ ratio haberetur, non vt regularibus, quæ exemplo huiusmodi carent, responderet oratio, sed vt mysterio congrueret, cui nihil in natura assimilari potest, quod non sit maioris dissimilitudinis, & in ipso articulo cōparationis improportionabile. *Sexto*, Si etiam affectio logica, quam intendit Goclenius, parit accidentalē prædicationem, vt statuit, quomodo prædicatio partis essentialis de toto congruet isti habitudini, & quomodo prohibebimus ne Deus dicatur homo per accidēs, quod termino ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος certe multū derogat. Rursus quomodo in accidētali prædicatione saluabitur sententia Thomæ, quæ adscribitur a Goclenio, quod videlicet homo de Deo prædicetur, vt species de sua hypostasi? Item: Si homo vt species consideratur, num concreti nomen, sicut in hac doctrina receptum est, tuebitur? Hæc vero propterea sūt expetenda, vt cognoscatur, interpretem

tem secundum prædictionem Lutheri vertumnum agere, semperque in plurib. hæere, quoties in aliqua particula ad regularitatem videtur commode deflectere. *Septimo*, Cum in cõuersione propositionum, *Deus est homo, & homo est Deus*, non solum sit determinatarum naturarum in antecedente & consequente permutatio, sed etiã personæ ad singulas ratio singularitatem importet, cum illa æterna hypostasis in diuina ab æterno subsisterit, in humana autem in tempore subsistere cœperit, illaq; non adsumta, hæc vero per gratiã assumta sit, cui distinctioni logica affectio, qualiscũque etiam doctissimis placeat, fraudi esse non debeat, defectu autem deesse deprehendatur, proinde omnes cordati intelligunt, plus esse causæ vrgendi, quod in re est contra logicum, quã logico adblandiri, contra veritatem Theologicam. Et hoc semper spectari velim, quoties hoc certamen censetur, cum vt aliquoties monui, citra illud malum Logicis plus indulgeam,

H

quam Theologi multi adsoleant. Has itaq; causas, quare Goclenio in proposito non adstipulemur, expendendas exhibemus. Restat tamen vt in specie dicamus, num synecdoche Goclenij veritatem Dei & hominis, vt par est, custodiat? Nolim autem inique accusationis culpam sustinere, quæ grauis fuerit in iudicio DEI, ideoq; fateor, me pro caritatis munere libenter credere, censorem illum cōfessionis nostræ Ecclesiæ nolle veritatem Dei & hominis in Christo sublatam. Quin autem ipsi vsu veniat, quod Dn. Lutherus in libro de Concilijs etiam pijs accidere conqueritur, vt nimirum consequens auersentur, antecedente eiusdem probato, vel contra non dubito. Quacunq; enim in voce tropum ponimus, ibi id quod promptum est significatione declinamus & auertimus, id quod generalis doctrina de tropis omnium consensu confirmat: Etsi igitur in synecdoche videtur aliquo modo secus fieri: præiudicium tamen ex vniuersali troporum natura
semper

VSVS NOTION. LOGIC. 115

semper metuendum est. Deinde cum
synecdoche, totum & partes permu-
tet, & ei de quo fiat prædicatio, perso-
nam, ei vero quod prædicati vicem
subeat, naturam alteram tantum ad-
signet, in oratione autem proposita
tam prædicatum quam subiectum, id
quod sub totius schemate ostenditur,
personam nimirum, simul sibi vendi-
cet, id quod etiam Thomas agnoscit
plane peculiare esse, neq; suæ regulari
explicationi convenire, idcirco non
servatur in tropo seu synecdoche ve-
ritas Dei & hominis, quemadmodum
subiecti & prædicati λόγος offertur. V-
num tamen hic videtur militare pro
Goclenio, quod veritas Dei secundum
Deitatem, & hominis secundum hu-
manitatem explicetur etiam in Sym-
bolis. Neq; hic etiam repugno, quin
sic naturarum veritas æstimanda sit,
& constet, cuius etiam respectu supra
disparatorum rationem innui. Quo-
niam autem aliquid amplius cogitan-
dum venit, cum dico, *Deus est homo*, i-
psa nimirum duarum naturarum unio,

& personæ vnitas, vnde etiam Goclenius nō ausus fuit dicere, naturam de natura prædicari, quapropter insufficientia explicationis argumento est, synecdochen neq; isti prædicationi satisfacere, neq; veritatem humanæ naturæ assequi, & significatum cōplere hominis, qui nō nomine tenus, sed reuera concretiue appellatur, nec tamen Nestorianæ diuisioni, sed inexplicabili vnitati consecratur. Ac si recte rem secum reputauerit aduersarius, difficilis defensionis causam agnoscat, quæ vnā vocem partim tropice, partim proprie accipiat. Quamobrem bene faceret, si diligentius expenderet, quam tum differat tropus dictionis, quo vnum pro altero ponitur, & modus prædicandi, quo vnum de altero dicitur. Et tantum quidem de propositione: *Deus est homo.*

X. *Examinantur ea, quæ ad communicationem idiomatum simpliciter accommodat Goclenius.*

AD communicationē autem idiomatum, quæ simpliciter accommodat, ea pluribus conatur munire argumentis, quæ nūc examinabimus.

Primum argumentum.

IN problemate 65. partis 3. sic argumentatur. Certissimum est Christū seu filium Dei vere passum & mortuum esse, sed non totum filij Dei. Deitas enim eius ἀπαθής. Filius igitur DEI κατὰ τὴν carnem passus est, non simpliciter, hoc est, secundum carnem tantum, non in ipsa Deitate, Συνεκδοχικῶς igitur, hoc est, aliquid tantum Christi proprie mortuum est, aliquid filij Dei, seu caro Filij Dei propria & substantialis est crucifixa, non eius Deitas.

Solutio,

Respondeo: Errat primum magister, quod partim nō, partim male distinguit inter hanc phrasin. Christus est passus, & adiectam declaratio-

nem secundum carnem. Quod enim Christus passus dicitur, hoc non est æquipollens huic phrasi, Caro tantum Christi passa est, neq; ita distinctionē recipit, vt illa figurata æstimetur, hæc detorsionem illius a verborum proprietate præstet, seu ut figurate dictū per declarationem ad proprietatem reducatur, sed vtrumq; tuetur proprietatem verborum, illudq; formā sermonis sine tropo sanam tuetur, etsi concretiva oratio regulari non congruat, plus etiam complectatur & enūciat, quam distinctiua subordinet. Pensitetur autem quid sit docere, hæc phrasin esse figuratam, *Christus est passus*: propriam autē & quidem in præiudicium illius esse hanc, *Tantum caro seu humanitas Christi passa est*. Sic enim vna esset alterius improprietas verborum abolitio. Non igitur verum esset, quod persona illa passa sit, sed oporteret naturā pro persona subiici. Atq; hic est error ille, quem Dn. Luth. in ἀλλοιώσει Cinglii execrabatur, cum zelo. Nos sane ἀλλοίωσιν nō reijicimus, si con-

si concretiua phrasis καὶ ἄλλο explicetur. Christus est passus carne. Habemus enim huius ἀλλοιώσεως fundamenta in sacris literis, ideoq; etiam non facinus cum iis, qui ἀλλοίωσιν plane respiciunt, non attendentes menti Dn. Lutheri. Verum vt ἀλλοίωσις ista sit tropus Rhetoricus, recipiens definitionem Plutarchi (ad hunc enim Apostolum Cinglius auditorem remittebat) hoc nunquam tolerari poterit. Quicquid enim scriptura de hoc mysterio pronunciat in datis phrasibus, hoc proprietate linguæ matris Ecclesiæ recte dictum, & verbis per tropum non remouendis, sed sine tropo in simplici significatione tenendis, verum statuimus, etsi non sit dictum proprie, hoc est, regulariter & iuxta modum prædicationis naturæ aptatum. Cumq; semper tropus orationem ista in parte, quam tropica explicatio elidit, falsam arguat, omnes sani intelligunt, falsam accusari sententiam, quod persona Christi sit mortua, si declaratio naturam subii-

ciens tanquam explicatio, tropo subferuiens, habeatur. Hanc igitur ob causam Dn. Lutherus ἀλλοίωσιν Plutarchi huc accommodatam tanquam inuentum Diaboli iure abominatus est, etsi ἀλλοιώσει ipse ad exemplū Scripturæ frequenter vtatur. Hoc ipsum quoq; reprehensum fuit, cum superioribus annis communicatio idiomatum a quibusdam negaretur, *Realis*, & contenderetur esse *Verbalis tantum*. Quantum autem nostrorum Doctorum admonitionibus profectum sit, ostendit Neopolitana admonitio de lib. concordia, in qua pag. 66. sic scribitur: *Persona Christi utriusq; nature nomina, proprietates, & operationes omnes communicari realissime, cum iisdem adserimus, contendimus & clamamus, &c.* Iam adhibeatur ἀλλοίωσις Plutarchi, cui respondet Synecdoche Goclenij, vt persona accipiatur pro humana natura, cum Christus dicitur passus, & synecdoche dictum solummodo naturam exhibeat, persona per tropum reiecta, atq; sic liquebit coram sanis, quod

quod tantum verbalis statuatur communicatio idiomatum ipsius persone respectu. Atq; hoc vno obseruato grauissima semper causa fuerit tropū Rhetoricum in datis verbis & propositionibus de Filio Dei ad modum Goclenij adhibitum tanquam infernalem pestem veritatis fugiendū esse, nec per illum aliam fieri reductionē ad regularitatem, quam quæ est ad hæresin, qua Christus dissoluatur,

Secundum argumentum.

SI nomine Filii Dei proprie & formaliter significatur λόγος, vt est ab æterno genitus a patre, non sine tropi aliqua specie connotatur caro. Sic si nomine hominis proprie & formaliter significatur persona constans ex corpore & anima rationali: Ergo non sine tropi aliqua specie eo significatur persona, quæ etiam Deus est. Hinc ergo conficitur, istam, Filius hominis creauit cœlum & terram, esse tropicam. Tropus autem alius quam Synecdoche esse nequit: Sententia enim

nim est: Iesus Nazarenus filius Dei & Mariæ creauit λόγος θεός ἰησοῦς, respectu vnius Deitatis.

Solutio.

Respondeo : Antecedens confirmans nomen filii Dei conceptui humano non solum ad abolitionem mysterii, in recessu relictæ, sed etiam ad remotionem personæ, subsistentis in natura diuina. Hoc igitur vt falsum reiicitur. Deinde connotatio in rei veritate non est alterius generis, quam est vnio personalis, cui non solum non congruit, sed infestus est omnis tropus Rhetoricus, vt modo demonstratum est.

Tertium argumentum.

Deus omnino propria significati-
one seu notatione tantū essen-
tiam diuinam significat, non huma-
nam. Cum dico : Deus est passus,
% Deus non tantum significat essen-
tiam diuinam, sed connotat personam,
quæ etiam homo est. Ergo cum dico:
Deus est passus, % Deus non accipitur
omnino

omnino propria significatione, sed per ampliationē (pro Deo incarnato seu persona Christi quæ Deus & homo est) synecdochæ congruentem.

Solutio.

Respondeo: Ex eodē præsupposito falso, vt in secūdo, cōcluditur accedit & hoc, quod cū Deus in præsen-
ti quæstione æternam personam filij DEI, nec tantum essentiam diuinam significet, si Goclenio credatur, etiam λόγῳ ἀσυνθέτῳ tropus immittatur, vt pars proprie accepta seruetur, pars p̄ tropum reijciatur, itaque non tantum in communicatione idiomatum, sed etiam in nūdis appellationibus pestilentialis tropus, æterno statui τῷ λόγῳ illatus, grassetur.

Quartum argumentum.

Quod valet in re pari, valeat quoq; in re cōpari oportet. Ioh. 20. cū dicit Maria, Dominum meum tulerunt, & nescio quò posuerunt eum. Item, si tu sustulisti Dominū meum. Et cum dicit Paulus, Dominum glo-

riæ crucifixerunt, sunt pares enunciations. In priorib. autem ex integro, quod est Dominus, significatur corpus. Ergo & in posteriore corpus intelligendum erit, idq; non nisi per synecdochē, vt paulo post habebimus. Quod autem illic significetur corpus, patet inde, quod ibidem dicitur: Vbi positum erat corpus Iesu. Vides hic manifeste nominum permutationē, Sic Ioh. 19. In monumento posuerūt Iesum. Et Matt. 28. Videte locum, vbi positus erat Iesus. De corpore mortuo Iesu intelligi hoc ex præcedentibus liquet, quæ sunt. Tulit corpus Iesu. Et Lucæ 24. Non inuenerunt corpus Domini. Sic Marci 15. Deponens eum (Iesum) inuoluit syndone, & posuit eum in monumento, Ac Luc. 23. Deposuit corpus Iesu inuoluit syndone & posuit illud in monumento.

Solutio.

R Espōdeo: Nego in oratione Mariæ ex integro significari corpus, vt fiat synecdoche. Realissime enim personæ

personæ competit, quod est naturalium, ideoq; non est locus homonymiæ, quæ nomen ostendat, & realitatem subtrahat.

• *Quintum argumentum.*

Quid porro hinc colliges? Si hoc proprie dictum: posuit corpus in monumento: Non inuenerunt corpus Domini: synecdochice sane dicta fuerint: In monumento posuerunt Iesum: Non inuenerunt Dominum, Vtrumq; enim prorsus proprie dictum esse nequit. Sed primum, secundum igitur. Assumptionem declaro.

Quod petiit Iosephus hoc proprie positum est in monumento. Iosephus petiit corpus Domini, vt aiunt omnes Euangelistæ. Ergo proprie positum est in monumento. Dominus igitur synecdochice.

Solutio.

Respondeo: Palpabilis error est, vtrumq; prorsus proprie dici nõ

posse. Agitur autem de proprietate, quæ verborum propriam significationem tueatur, vt nimirum persona tanquam persona accipiatur. Deinde licet modus prædicandi non sit proprius seu regularis, tropus tamen ei nullatenus conuenit, quia prædicatum realissime tribuitur personæ, quod tropus nomine tenus & verbaliter tantum factum arguit. Ideoque mors est veri.

Sextum argumentum.

Permutatio abstracti & concreti sine tropo esse nequit. Talis permutatio hic est: posuit Iesum in monumento. Et posuit corpus Iesu in monumento. Non derelinques animam meam in inferno: Et non fines sanctum tuum videre corruptionem. Vbi personæ. Iesu, Sancto, aliquid tribuitur, quod tamen secundum vnam partem ei conuenit. Ergo illa permutatio absque tropo esse non potest.

Solutio.

Respondeo: Esse hic permutationem abstracti & concreti pernego

go

go quemadmodum ἀλλοίωσιν Plutar-
chi tanquam αἰρέσεων parentem hic
detestatus fuit Lutherus.

Septimum argumentum.

EX loco: Non est hic, Ecce locus
vbi posuerunt eum, sic infero: Il-
lud resurrexit, quod loco potuit com-
prehendi. Ipsum corpus loco potuit
comprehendi. Ergo ipsum corpus re-
surrexit.

Ex voce, surrexit, quid surgit? Non-
ne id quod cecidit?

Anima autem non cadit: Diuinitas
non cadit, corpus cecidit, Ergo cor-
pus resurrexit.

Septimum hoc argumentum est
eiusdem farinae cum præcedenti.

Octauum argumentum.

HVC faciunt locutiones & senten-
tiæ Doctorum Ecclesiæ veterum
& recentiorum. Synecdochen enim
ex illis colligere nõ est difficile. Atha-
nadius ad Epictetũ: Corpore eius sus-
citato, Paulus dicit: Filium ex mor-

tuis suscitatum Audis velle Athanasium corpus proprie suscitatum, & tamen dici filium suscitatum, quod non nisi modificate accipi potest? Idem: Etsi Deus erat, qui ignominia adficietur, ex asse tamen & in solidum passio illa carnis & animæ fuerit. Idē ad Liberium: Illa caro suspensa est in cruce, non ipse. Item: λόγος passiones sustinuit vt homo, non ipse, (scilicet naturaliter, sed in sua natura & essentia, alioquin vere & recte dicitur: Ipse filius Dei est suspensus & passus.) Leo Epist. 81. Dicam: Quæ substantia Saluatoris affixa sit ligno, iacuerit in sepulchro. Vigil. lib. 2. contra Eut. Secundum proprietatē naturæ sola caro sepulta est: secundum vnionem personæ Deus est sepultus. August. in Iohan. citante Hispalensi Concilio: Nec anima mortua est, nec verbum, caro tantum mortua est, vt in ea mors moreretur. Quid est, quod clavis transfixum est, quæ forma in passione cæditur? & quæ ab æterno glorificatur?

Ful-

Fulgentius ad Thrasimundum lib. 3. Cum sola caro moreretur, atq; resuscitaretur in Christo, propter unitatē personæ Dei & hominis, filius Dei dicitur mortuus. August. in Iohan: Tomo 78. Quid eius (filij Dei) nisi caro sepulta est sine anima? Ac per hoc, cum credimus in Dei filiū, qui sepultus est, profecto filium Dei dicimus, & carnem quæ sola sepulta est, &c.


Solutio.

Authoritatēs patrum colligit, de quorum dictis respondemus, quod per ratiocinationes eadem fide tractentur, qua testimonia sacra. Superioribus ergo responsis refutatur. Neque vocabulum ἱρόπος est terminus Rhetoricus, sed Grammaticæ accipitur, & tantum modum significat, cui respondeat mysterium, id quod euincunt hæc verba Damasceni lib. 3. de orthodoxa fide cap. 9. ἀπόρρητος ἱρόπος Ἰησοῦ περιχωρήσας. Itē, ἱρόπος Ἰησοῦ κατὰ τὴν ἀπόρρητον ἐνώσειν ἀνιδόσας. *Tropus autem Rhetoricus non est ineffabilem, seu effabilem.*

Quod tamen aliqui Doctores synecdochen appellarunt, quemadmodum Lutheri & Chemnitij consensus allegatur, id nego esse commodum Goclenio. De eo enim, quod constanter semper abominati sunt isti Doctores, quemadmodum de ἀλλοιώσει monui, noluerunt certe sua accipi. Deinde non fuit illis propositus status negandi de persona, quod conueniebat naturis, sed & personæ & naturis *vere* atq; *realiter* attribui perpetuo confessi sunt. Respexerunt autem quæstionem hanc, cuius naturæ proprium sit, quod de persona dicitur, & propter quam personæ realiter congruat? atq; sic constituerunt synecdochen, quæ etiam tali usu a modo prædicandi diuerso, ideoq; illum non violante, facile toleratur; tum vero ut hæretica reprobanda est synecdoche, quando propria naturarum negat *vere realiter, & mystice* (quibus repugnat tropus) attribui personæ.

Id


ID quod de nugamentis Goclenij,
quæ argumenta vocavit, nunc qui-
dem respondere volui. **D O M I N V S**
I E S V S seruet inter nos confessionem
veræ fidei de se & omnibus articulis
Symboli Christiani, inimicos verita-
tis compescat, & illos nobiscum vasa
gratiæ atque misericordiæ pro suo
beneplacito faciat, seruetq;
A M E N.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.















AB 42 $\frac{4}{45}$

(x 220 1446)

Sb.





DANIELIS HOFMANNI D.
DE VSV ET AP-
PLICATIONE NO-
TIONVM LOGICARVM
ad res Theologicas
ET
DE INVSITATARVM
praedicationum reductione,
Aduerfus
RVDOLPHVM GOCLENIVM
Admonitio.
E PVBLICIS PRAELECTIO-
nibus excerpta & in communem Eccle-
sia vsum ab auditoribus
edita.



FRANCOVRTI,
Excudebat Ioannes Saurius, impensis
Petri Kopffij.
M. D. XCVL

